SVCCINCTAE ET BREVES
E TEXTV ARISTOTELIS
DESVMPTAE

QVÆSTIONES ETHICÆ.

Ad faciliorem
Decem librorum Ethicorum Nicomachiorum intellectum conscriptæ

A

GVILIELMO HILDENIO.

BERLINI
Typis ac impensis autoris
Anno salutiferi partus
M. D. LXXXV.

Cum priuilegio S. Cæs: Maiestatis ad decennium.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA

Biblioteka Uniwersytecka
Stacja Naukowa
w Toruniu

Ob. 6. II. 3412

MAGNIFICO,

OMNIS VIRTVTIS ET ERVDITIONIS LAVDE CVMVLATO, IVris scientia & rerum vsu clarissimo nobilissimoq; Domino SIGISMVNDO VIEHEVSERO, Domino in Oberlauterbach, I. V Doctori, S. Cæs: Maiestatis Vicecancellario, Domino suo debita animi subiectione colendo.

S. D.

VM INTELLIgerem, vir Magnifice, in obtinendo à S. Cæsarea Maiestate, quàm commodissimè edendorum quorumcunq; in philosophia & artibus librorum, priuilegio, illoq; amplissimo & honorificentissimo, Vestræ Magnificentiæ autoritatem & beneuolum de studijs meis iudicium plurimum mihi profuisse, aliqua saltem ratione grati animi significationem edendam esse censui, si tale munusculum misissem, quod quidem studiorum meorum fautori & patrono gra-

tissimum acceptissimumq; futurum esse videretur. Etsi verò libelli huius ea præstantia non est, quæ meritorum à V. M. in me collatorum magnitudini quoquo modo respondere posset: tamen quod Iuris & Legum cognitione & scientia excelleret V. Magnificentia, ijsq; studijs, animo promptissimo, labore planè Herculeo, toti orbi Christiano inseruiret, cognatum hoc quantulumcunq; opusculum amplissimæ illi Iuris scientiæ, Vestro nomini, cum nunc aliud maius opus nondum perfectum esset, inscribere non dubitaui. Nam & cum alia optimæ politiæ constituendæ melior ratio non sit, quàm Iuris illius sacrosancti quod ciuile appellamus, illius prima principia ijsdem è fontibus, è quibus & Politica & ipsa Ethica Aristotelica promanasse nemo vnquam dubitauit. Hoc verò compendiolum si comperero V. Magnificentiæ gratum fuisse, animus mihi addetur, & hac in parte aliquid tentandi, quod ad pleniorem doctrinæ moralis cognitionem, & ad Aristotelica melius intelligenda, non parum conducere posse videatur. Neque enim alio loco eiusmodi scripta, quale & hoc est, haberi possunt, quàm quod ad integram solidamq; artium doctrinam, quæ

nec me-

nec melioribus rationibus nec ordine meliori à quoquam traditur, atque ab Aristotele, aditum faciunt. Quem quidem huius opusculi finem si consecutus fuero, & quamplurimis libellus hic profuerit, caussæ satis erit cur me nec laboris nec sumptuum pœnitere debeat. Vestræ autem Magnif: erit, quod nunc offertur, boni consulere, & qualiacunq; mea studia apud S. Cæs. Maiestatem commendare, cui summo totius orbis Christiani Monarchæ, omnes nos obsequium, & reuerentiam secundum Deum maximam & debemus & animis præstamus cupidissimis,

V. Magnif:

add:

Guilielmus Hilden.

SVMMA DOCTRINAE MORALIS EX TIMæo Locro Platonis.

ΠΕΡΙ ΨΥΧΑΣ ΚΟΣΜΩ καὶ φύσιος.

Ἀμὴ φύσις, οἷον ὄργανον ἁρμόζατο τὸ σκᾶνος, ἵνα πειθήνιόν τε εἴμεν καὶ ἐναρμόνιον τᾶς τῶ βίων ἱστοθέσεσι: Δεῖ δ' τὰν ψυχὰν ῥυθμίζεσθαι ποτὶ τὰς ἀναλόγως ἀρετὰς, ποτὶ μὲν σωφροσύναν, οἷον ποτὶ ὑγίειαν τὸ σᾶμα, ποτὶ δὲ φρόνασιν οἷον ποτὶ ἀναισθασίαν, ποτὶ δ' ἀνδρειότατα οἷον ποτὶ ῥώμαν καὶ ἰσχύν, ποτὶ δικαιοσύναν, οἷον ποτὶ κάλλος τὸ σῶμα. Τετέων δ' αἱ ἀρχαὶ μὲν ἐκ φύσιος μέσα δὲ κ' τέλος ἐξ ἀσκαμελείας.

Natura quidem vt instrumentum aptauit animæ corpus, vt obœdiens esset & consentiret vitæ institutis: animum verò oportet nos ad virtutes, quæ corporis bonis respondeant, conformare, ad Temperantiam quidem vt corpus ad valetudinem, ad Prudentiam vt corpus ad sensuum vigorem, ad Fortitudinem vt ad robur & firmitatem corpus, ad Iusticiam vt corpus ad pulcritudinem. Harum virtutum principia quidem sunt à natura, medium verò & perfectio à studio & exercitatione.

IN

IN ETHICOS NICOMACHIOS EROTEMATICA INTRODVCTIO.

Quæ est librorum omnium Aristotelicorum diuisio?

Diuiduntur hi libri primò quidem ad differẽtiam omnis doctrinæ atq; disciplinæ, cum illa autore Platone & Aristotele duplex sit, alia rudis & primæ ætati ac plebeijs auditoribus conueniens, alia verò exquisitior, explicationem continens causarum, & contrariæ sententiæ pleniorem refutationem. Atq; hac ratione scripta Aristotelica omnia Ammonius dixit esse vel Ἀφελογικὰ, *quæ*

& ἐξω-

& ἐξωτερικὰ *appellata fuerunt, vel* αὐτοπεδόσωπα, *quæ* ἀκροαματικὰ *aliâs,* & ἐποπτικὰ *sunt nominata.*

Qualésnam censendi sunt hi decem Ethici Nicomachij?

Non dubium est & in morum philosophia editos ab Aristotele libros fuisse Dialogicos, cum præsertim illi seculo valde esset familiaris hæc in personas distribuendi sermonis consuetudo: hi verò acroamatici sunt, quanquam à Simplicio inter eos qui oratione copiosiore, & magis perspicuo dicendi genere scripti sunt, connumerati. Non ergo si qua in his libris non deprehenduntur, quæ vel ab Augustino vel à Cicerone ex Ethicis Aristotelicis adducuntur, statim concludendum, hos Aristotelis non esse libros, cuius flumen aureum & neruosam copiam vix etiam in his ipsis libris conspicere quis possit, cum eadem illa copia potius Dialogicis quàm Acroamaticis libris tribuenda esse videatur.

Ad

Ad quam ergo philosophiæ partem hæc doctrina pertinet?

Ad practicam, cuius finis non in cognitione sola consistit, sed ad actionem dirigitur, & bonum spectat in omnibus consilijs et actionibus publicum. Illi enim, vt in sexto horum librorum docebit philosophus, subijciuntur tres veluti aliæ partes, Ethica, Oeconomica, & Politica, non tantùm multitudine eorum ad quos referuntur, sed & præceptis atq; institutis distinctæ.

Qualis est librorum inscriptio?

Ethicum esse scriptum hoc, ipsa quoq; librorum decem Nicomachiorum inscriptio ostendit, cum quidem Ethicorum titulo inscribantur, & hæc doctrina ad Oeconomicam & Politicam generalis sit, et principia, quemadmodum indicat Aristoteles, initio magnorum moralium, ad politicam facultatem, cuius velut initium est & medius quidam gradus Oeconomica, continet.

Quæ est horum librorum distributio?

Omnes artes & scientiæ, quarum principia certa sunt, à primis principijs progressæ, ad ipsam operis consummationem progrediuntur. Principium verò omnium actionum est, Bonum, de quo, vt ciuili, in primo Ethicorum Nicomachiorum actum fuit, at cœleste ac æternum soliq; animæ competens bonum summum, id est, felicitas contemplans, in decimo, qui horum librorum vltimus est, explicatur. Cum verò tria sint, quibus omnes ferè artes & scientiæ diuiduntur, subiectum, circa quod ars occupatur, principia operationum seu actionum arti propositarum, & ipsæ actiones, principium quidem omnium humanarum actionum est felicitas, subiectum verò anima in homine irrationalis, quatenus rationi obœdit, actiones propositæ philosophiæ morali non nisi honestæ sunt, & tales quarum norma sit recta ratio. De principio, siquidem in Ethicis principium

simul

simul & finis est actionum & principium quoq; consiliorum, rectè de summo bono & felicitate tùm in primo tùm in vltimo libro agitur, intermixta simul doctrina de subiecto philosophiæ moralis & virtutum. Qui verò libri inter primum & vltimum interijciuntur, illi omnes aut virtutis ipsius tùm in genere cuiuscunq; tùm in specie singularum virtutum, explicationem suscipiunt, aut ea quæ cum virtute cognata sunt, qualiánam sint declarant. Simplici virtutis considerationi, quatuor libri priores, cognatis virtutum explicandis, posteriores totidem inseruiunt.

LIBRI PRIMI ETHICOR: NICOMACH:

CAPVT I.

Quis est scopus horum librorum seu philosophiæ moralis?

BOnum publicum politicæ facultati propositum

positum est, vnde & reliquæ artes ab hac gubernantur, ipsáq; num ciuitati, id est, societati certorum hominum profuturæ sint, & quatenus ac quo modo tractari debeant artes aliæ, præcipit, tanquam ἀρχιτεκτονικὴ, *cum quidem omnis ars et omnis doctrina, itidemq; actio & electio ad bonum aliquod & deniq; ad Deum, summum omnium bonorum fontem, referenda sint, ipsumq; bonum, siue Deum dicas, siue etiam reliqua omnia & singula, quæ nisi per & propter Deum bona esse possunt, definierint vetustissimi autores id, ad quod omnia tendunt.*

II. CAPVT.

Est'ne & alius quispiam vsus huius doctrinæ?

Ethicam doctrinam, quæ in fine horum librorum peculiariter φιλοσοφία περὶ τὰ ἀνθρώπινα *definitur, si quis diligenter cognoscat, & ad vitæ vsum transferat, majorem is hinc, quàm ex alijs artibus, vtilitatem consequitur,*

ſequitur, cum virtutum præcepta, ad quamcunq; fortunam illius res deuenerint, hominem, quo modo is ſeſe gerere debeat, informent atq; erudiant.

III. CAPVT.

Qua ratione docenda hæc philoſophiæ pars, & quis auditor illius optimus?

In reliquis diſciplinis Mathematicis certæ ſunt rationes & principia immota, & ſimpliciter vera, quibus fidem derogare nemo poſſit niſi planè demens haberi velit: at politica præcepta & leges multiplicem habent circumſtantiarum varietatem & differentiam, ac iamdudum quæſitum eſt, num arbitrio hominum an naturâ valeret lex, & reliqua verò bona, vt robur & audacia, nec non diuitiæ & opum abundantia, talia ferè ſunt, plures vt hæc perdiderint quàm ſeruauerint. Auditor proinde politicus demonſtrationes Mathematicas non requiret, ſed ita quidem leges & doctrinam de virtutibus optimè

ptimè percipiet, si moribus ipse non fuerit peruersis aut iuuenilibus.

IIII. CAPVT.

Quo ordine hæc doctrina ab Aristotele proponitur?

Eo ordine res vnaquæq; tradenda est, qui ordo illi ipsi rei quæ in dubium vocatur aut de qua ratione agitur, conuenientior futurus esse uideatur. Ac de ordine quidem & docendi ratione, secundum Platonem, eadem est, quæ de athletarum concertatione, quæstio, cũ vel à carceribus egressi ad metam, vel à meta ad carceres cursu hi certare soleant, & in omni, quæ ratione suscipitur, institutione, vel à principijs ad conclusionem aliquã, vel à conclusione, facta resolutione, ad principia progrediamur. Prior τάξις dicitur συνθετικὴ posterior ἀναλυτικὴ, estq; ordo ille ætati rudiori & auditori plebeio aptior, posterior verò caussarum inuestigationem adhibens, etiam accuratior videtur, quam pro hac doctrina, cui

cui non tàm cognitio quàm actio proposita est. Ordo verò in his libris, cum alijs analyticus esse videatur, separato primo libro, qui reliquorum velut proœmium quodpiam est, syntheticus apparet, generationis ordini in natura rerum respondens.

Quæ est methodus huius doctrinæ?

Omnis disciplina omnisq; doctrina à causis progreditur, ipsumq; principium actionum humanarũ est felicitas, de qua diuersum esse videmus plebis & doctorum ac politiorũ hominum iudicium, cum à consensu hominum prima in hac philosophia argumenta sumantur. Et certè quia propter felicitatem, & vt beatè viuant, homines nihil non faciunt, accidit vt quod ad felicitatem solum sufficere ægroti aut pauperes aut inscij & rerum imperiti dixerunt, idem sani & mediocribus diuitijs affluentes ac rerum cognitione imbuti deinceps tanti non faciant. Neque verò quid ægroti aut affectu quopiam præpediti bonum iudicent videndum, sed cum

omnes felicitatem summam εὐδαιμονίαν vocent, & in actione aliqua bona constituant, qua in re sita sit summa beatitudo humana, considerare, diligenterq; attendere debemus omnes, memores semper sententiæ Hesiodeæ & versuum, quos cum suo exemplo veros esse didicisset, ita reddidit apud Liuium Minutius: Sœpe ego, inquit, audiui, milites, eum primum esse virum, qui ipsè consulat quid in rem sit, secundum eum, qui bene monenti obœdiat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse. Quocirca tùm de felicitate, tùm de illa, in qua maxima ex parte versatur hæc doctrina, virtute rectius iudicabit ac statuet, qui vel ipse iudicio instructus fuerit, vel aliorum consilia & admonitiones ferre potuerit, ac studere debent, si quibus prima animi ingenijq; negata sors est, secundam ac mediam vt teneant. Hæc ergo methodus est & optima ratio docendi discendiq;, illa

omnia

omnia quæ ad virtutem & ſummam felicitatem pertinent, cum qui audit non audiendum modò ſed obœdiendum eſſe ſtatuit, qui verò docet, mathematicas demonſtrationes negligens, ſi quæ ſapientiſſimis viris viſa ſunt, propoſuerit, & honeſtè vixerit, arbitretur officio ſe ſuo ſatisfeciſſe.

V. CAPVT.

Quot ſunt principales de felicitate opiniones?

Varro vltra octingentas collegit, verùm infinitæ illæ ſunt, & longè plures de ſummo bono ſententiæ. A vitæ autem inſtituto diuerſiſſimarum de felicitate ſententiarum differentiæ certæ facilè ſumuntur. Sunt ergo vitæ humanæ differentiæ tres, cum alij plebeij ſint & voluptuarij, laboribus quidem maximis addicti, ſed qui vitæ finem voluptatem conſtituant, ſoliti etiam quæ pluribus diebus acquiſiuerunt, vnius diei pauciſſimis horis conſumere, alij verò cum rempublicam

Biblioteka Uniwersytecka Toruń

administrent & consilijs suis alios iuuent, honori & gloriæ studeant, alij deniq; contemplationi dediti, conueniens suo instituto bonum summum iudicant, sapientiam aut Ideam aut simile quid.

Quid de prioribus duabus opinionibus statuendum?

Vnico verbo βοσκημάτων ἀνδραποδώδης βίου primã opinionem refutat philosophus, dicens, bestiarum vitam eos eligere & seruilem esse illorum conditionem, vt ipsa turpitudine & indignitate rei aliena sit ab hominis vita hæc de summo bono sententia. Alteram opinionem, nimirum politicam, cum triplex sit, tripliciter refutat, primam quidem quæ honorem summum bonum statuit dicens ἀστατολαιότερον, inconstantius & incertius bonum statuisse, quam vt summi boni titulum ac nomen possideat: alteram autem eorum qui virtutis habitum summum bonum dixerunt, ἀτελεστέραν vocans, id est, imperfectiorem

rem quàm requirat conditio ſummi boni, cum hac ratione dormientes felices rectè dicerentur, reiicit: tertiam quæ diuitias ſummum bonum ſtatuit, quia in eo collocauerit ſummum bonum quod vltimum non ſit ſed ad aliud referatur, quodq; aut virtuti aut voluptati inſeruiant opes, ineptam eſſe pronunciat.

VI. CAPVT.

Eſt'ne ergo ſummum bonum in Idea poſitum?

Priorum opinionum autorem non nominauit vllum, at huius opinionis autorẽ quamuis Platonem non nominet, ita tamen depingit, vt cum aliâs plurimis in locis reprehenderit præceptorem Ariſtoteles, nullibi, niſi hoc in loco, excuſationem ſimul addat, amicitiæ dicens præferendam eſſe veritatem. Etſi verò ſatis magnificè Plato de felicitate locutus eſt, tamen num præter Deum, quem nec Plato nec Ariſtoteles philoſophicis adducti rationibus vnquam ita vnum ſtatu-

ere possunt, vt tres dicturi sint in vna essentia personas, Idea essentialis in ipso Deo quæpiam esse possit, siue filius Dei dicatur siue quocunq; modo aliter, philosopho philosophicis, id est homini humanis & naturalibus, seu elementaribus, vt ita loquar, rationibus iudicandum relinquo. Quod si ex sacris literis quarum semper autoritas integra esto, de felicitate pronunciandum sit, rectè consentientibus etiam ratione humana & Aristotele, illiusq; interprete Alexandro & Auerroe vtroq; commentarijs in primam philosophiam, hoc verò etiam in disputatione tertia contra Algazelem, Deus prima & vna omnis boni in natura causſa est, primus & vltimus adeoq; summus finis, summum bonum, à quo omnia & quod sunt & quod bonum quid sunt, dependent, eoq; tendunt. Ac missis quidem Ideis ac περιτσμασι Platonis, humanũ ad modum, non de diuina & æterna felicitate, sed de mundana, quæq; ad

conser-

conſeruationem generis humani in hac vita referatur, ſecundum Ariſtotelem pronunciemus, bonum tale quale Plato conſtituit, nec eſſe vllum nec ſi ſit, politicum eſſe & eiuſmodi quod ad humanæ ſocietatis ſalutem & hanc vitam pertineat.

VII. CAPVT.

Quid eſt ergo felicitas?

Duplicem propoſuit Ariſtoteles felicitatis definitionem, vnam rudiorem & generaliorem, qua non tàm qua m re ſita ſit ſumma hominis felicitas, quàm quid ſit ipſa, ex communi omnium opinione, declaratur. Hæc definitio tribus conſtat particulis, eſtq; talis: Felicitas eſt bonum ad quod reliqua omnia bona diriguntur, quodq; per ſe expetendum eſt, & perfectum cum ſit, ipſum ſibi ſufficit.

Quænam eſt perfectior illa definitio felicitatis?

Hæc ab operatione hominis propria deſu-

mitur, estq; talis: Felicitas est actio animæ secundum virtutem, si verò plures virtutes, secundum optimam & perfectissimam, præterea verò in vita perfecta.

VIII. CAPVT.

Quomodo probatur hæc definitio?

Non tantùm rationibus in quæstione de felicitate agendum est, sed & quid de felicitate alij senserint, videndum, & ex communi consensu iudicandum. Id autem duplici ratione fieri potest, primùm quidem, si ad vocabula respiciamus, deinde verò si etiam opiniones alias, & id quo opiniones de felicitate conueniunt ac consentiũt, spectemus.

Quomodo ex vocabulis & communi vsu loquendi deprehenditur veritas huius definitionis?

Diuisa sunt bona, in externa corporis & animi. Ex his communi loquendi consuetudine principaliter & maximè bona dicuntur, quæ animi sunt: vt ita rectè in animo ponatur

tur felicitas. Quoniam verò animus aut contemplatur aut agit, ex eadem communi vocabulorum acceptione facilè concludi potest, felicitatem esse actionem. Omnes etiam felicitatem apud Græcos vocant εὐζωΐαν & εὐπραξίαν & felicem esse εὖ πράττειν, eaq; ratione salutandi, seu felicitatem summã & salutem precandi, maximè Plato vsus est. Hactenus ergo constat felicitatem esse actionem animæ ea ratione qua animæ conuenit, seu secundũ bonum animi. Quod, si virtus sit, iam felicitas actio fuerit animæ secundũ virtutẽ.

Quomodo ex communi consensu concluditur hæc definitio?

Quicunq; in virtute, prudentia aut sapientia summum bonum collocarunt, si modo ad actiones respexissent, benè sensissent: Virtuti certò omnes felicitatem tribuunt. Est verò & in virtutis actione summa iucunditas & voluptas vera ex conscientia rectè factorum, quam animi voluptatem cum con-

sequi non possint plebeij, corporis voluptatem summum in vita bonum censent.

An non verò bonis etiam externis opus est?

Est omnino, cum rerum gerendarum nervi sint pecuniæ & amicorum verò etiam bonorum copia ad virtutem facere videatur promptiorem aditum. Hinc verò est quod & εὐδαιμονία Græcis & εὐτυχία pro felicitate sumitur.

IX. CAPVT.

Quænam ergo causſa est felicitatis?

Si vllum est à Deo Optimo Maximo homini concessum bonum, id quod summum est, non aliunde quàm ab eodē autore omnis boni, hominibus contingere omnino statuere debemus. Vt autem humana quoq; requiratur industria, tamen pium est & iustum hoc ipsum tantum bonum diuinum vocare, cum & conditionem eam obtineat, quæ Deo & diuinis tribuitur, sitq; πολύκοινον, &, vt loquun-

quuntur, communicatiuum, congregatiuum, conseruatiuumq; sui & omnium bonorum. Non ergo à fortuna aut temerario quopiam casu constans est felicitas, cum & temporis requiratur diuturnitas, & quod optimum est quodq; à ratione pendet recta, id fortunæ nequaquam sit asscribendum. Hinc verò nec reliquorum animalium præter hominem vllum felix dicitur, nec inter homines, seu pueri, seu qui sub extremum vitæ tempus in grauissimas incidunt calamitates, felices & beati communiter dicuntur.

X. CAPVT.

Ann'on ergo vera est sententia Solonis, qui vt beatus quis dicatur, finem vitæ expectandum esse dicebat?

Non hoc tantùm, posito illo, fortunæ bona multum felicitati conferre, dubium videtur, sed & aliud, num quorum liberi & nepotes in grauissima infortunia incidunt, felices & beati sint dicendi? Verùm ad vtri-

usq; huius dubij solutionem vno et eodem modo responderi potest, si huius vitæ & non alterius à philosopho felicitatem inquiri dicamus, &, vt illustrior fiat felicitas fortunæ accedentibus bonis, incommodis autem plurimis grauissimisq; obscurior reddatur, hoc tamen tenendum esse, Virum bonum (beatus verò & felix nisi bonus, nemo) animo esse constanti &, quod græcè elegantius dicitur, πεφάγωνον ἄνδ ψόγε, perq; ipsa pericula & grauissima infortunia τὸ καλὸν λαλάμπειν conspici & illustriorem fieri virtutem, cuius actione felicitas, non autem bonis fortunæ definita fuit.

XI. CAPVT.

Nihil'ne ergo prosperitas aut calamitas posterorum ad mortuos pertinet?

Videtur hoc quidem naturæ legibus repugnare, quæ summum inter parentes & liberos præsertim, amorem esse voluit, cum aliàs amici calamitatibus amicorum condoleant, prosspe-

prospera illorum fortuna delectentur & gaudeant: at non sunt illa talia aut tanta, quæ è beato qui fuit dum viueret, mortuum miserum aut contrà facere queant, cum de vita hominis non de morte quæstio sit quando de felicitate agitur.

XII. CAPVT.

Quot sunt omnium bonorum differentiæ & quo loco habenda felicitas?

Omnia bona, cum non nisi humana, bona dicantur, vel ratione illius partis, quæ in nobis diuina est, bona quidem τίμια Græcis dicuntur, vel, cum corporis bonis et bonis fortunæ tùm bene tùm malè vti possimus, δυνάμεις Græcis, id est facultates, quarum in vtranq; partem vsus sit, appellantur, vel deniq; media bona censentur obtemperãte rationi appetitu, et bonis corporis ac fortunæ rationi rectæ seruientibus, hæcq; ipsa bona ἐπαινετὰ nominantur. Virtus bonum est ἐπαινετὸν, robur, diuitiæ δυνάμεις sunt & dicuntur, hisq; bene & male

& malè vti possumus, virtutis non est nisi bonus vsus: mens, intelligentia, sapientia, bona sunt τίμια, eaq; Deo accepta referre necesse est, & vt felicitas virtute maximè nitatur, tamen à Deo illam expetere & huic acceptã referre debemus, ac proinde bonum τίμιον vocare.

XIII. CAPVT.

Quænam sunt interiores causſæ felicitatis & circa quid occupatur doctrina politica potisſimum?

De virtute ferè omnis est & in his libris & in tota doctrina politica, quæstio, quod ad felicitatem constantem plurimum ipsa faciat, & cognitâ naturâ virtutis, eò rectius de felicitate pronuncietur. Cognoscitur autem natura virtutis optimè, si causſæ illius inquirantur, & tanquam accidentis, materia in qua versatur, siquidem accidentium natura hæc est & essentia quod in aliquo subiecto sunt, perueſtigeuur. Est ergo vir-

virtutis obiectum anima, cuius in homine duplex vis est atq; facultas, vna bruta & irrationalis, altera rationalis, quarum neutra simplex omnino esse & vnam rationem habere videtur. Nam & irrationalis illa partim etiam cum plantis, partim cum brutis animalibus tantùm communis homini est, cum quidem solus homo ratione vtatur, idq; vel ad cognitionem nudam rerum, vel ad actionem & vitæ humanæ conseruationem. Partis irrationalis illa vis, quæ cum plantis communis nobis est & in nutriendo & augendo corpore consistit, φυτικὴ ἢ θρεπτικὴ Græcis dicitur, nec vllo modo ad virtutem aut felicitatem refertur: quæ verò & in alijs animalibus præter hominem, non autem plantis conspicitur, ἡ αἰσθητικὴ, coniunctam habet τὴν ὀρεκτικὴν, qua, quæ bona sunt aut videntur, animalia appetunt. Omnes hæ facultates ἄλογοι sunt, id est, irrationales, & fit tamen vt certa ratione ac modo ἡ ὀρεκτικὴ

virtu-

virtutibus ac vicijs in solo tamen homine subijciatur, quòd solus homo ratione præditus sit, quæ cum legitimum suum & rectum imperium in appetitum exercet, & huic obœdit ἡ ἐπιθυμητικὴ, illa ipsa obœdientia & actio secundum rectam rationẽ virtus est et dicitur, cum si velut statu suo ratio deijciatur & sub appetitu succumbat, incontinentes ac vitiosi homines reddantur. Virtutis autem non vna ratio est, verùm duplex differentia qua aliæ quidem διανοητικαὶ aliæ ἠθικαὶ dicuntur, vt initio statim sequentis libri apparebit.

LIBRI SECVNDI

I. CAPVT.

Quotuplex est virtus & quæ virtutis caussa efficiens?

Duplex est virtus, alia διανοητικὴ quæ à doctrina & institutione originem & incrementum sumit, alia ἠθικὴ, quæ à consuetudine, à qua & apud Græcos ipsum vocabulum

lum ἦθος, οἷον ἀπὸ τοῦ ἔθους, deducitur. Hinc verò & id manifestum est, quòd nulla virtus moralis naturâ nobis inest, quòd quæ naturalia sunt, consuetudine mutari nõ possint, nec lapis assuefieri vt in altum conscendat. Consuetudo ergo causſa est virtutum moraliũ et sæpe iusta agendo iustè agere discunt, & ex similibus actionibus crebrò repetitis habitus tandem acquiritur.

II. CAPVT.

Cum & virtus & vicia ex actionibus paulatim oriantur, eædemne actiones virtutem & vicium gignunt?

Minimè, sed fit, vt, quemadmodum & in medicina & in arte gubernandi, ita hîc quoq; excessus & defectus vitandi sint, cum quidem vitiosa sint extrema, virtus autem in medio consistat.

III. CAPVT.

Circa quæ'nam & in quibus rebus mediocritatem seruat virtus?

Circa voluptatem & dolorem & virtutes & vi-

& vitia occupantur. Voluptatis enim illecebris adducti peccãt et dolore moti ab honestis actionibus abstinent. Hinc Plato diuersis in libris, de repub: & de legibus, plurimùm dicit interesse, vt ab ineunte ætate quis gaudeat ijs quibus decet, & doleat ob quæ vir bonus dolore meritò affici debet. Quod si verò virtus & ars circa difficiliora versantur, & secundum Heraclitum difficilius est voluptatibus quàm iræ repugnare, circa voluptates & dolores virtus versari rectè concluditur.

IIII. CAPVT.

Quomodo intelligendum, quod Aristoteles dicit Iusta agendo iustos fieri?

Videntur, qui iusta agunt, iam iusti esse, non aliter atq; ij qui Grammatica edunt scripta, Grammatici, verùm non ita se res habet, sed fieri potest, vt iusta quis agat, animus autem illius facto non consentiat, cum, quo animo quis dixerit feceritúe quippiam, in ar-

in arte non quæratur. Tria enim in virtute quæruntur & vitio, primum quidem num sciens, alterum num eligens & propter hoc ipsum fecerit, tertium num constanter & immota voluntate egerit. Hæc verò tria in artibus non spectantur omnia, sed sola requiritur scientia. Si quis verò nuda contemplatione in virum bonum euasurum se putat, is eodem modo decipitur quo illi qui medicis auscultant quidem diligenter, at imperata non faciunt, quales ægroti meliorem valetudinem nunquam sperare debent.

V. CAPVT.

Quod est virtutis genus?

Animæ operationem quandam esse virtutem, non quidem solius rationalis nec solius appetentis facultatis, sed huius quatenus illi tanquam digniori & meliori obœdit, in fine libri primi dictum erat. Tria verò hæc cum in animo sint, vnum quidem τὴν τροπικὴν

illius facultatem maximè respiciens δύναμις facultas naturalis, alterum τὴν αἰσθητικὴν τὸ πάθος affectus, & tertium τὴν λογικὴν, ἢ ἕξις habitus, neq; facultatem quampiam naturalem, neq; affectum esse vbi ostendit philosophus, habitum esse concludit, quod in prioribus duobus, in affectibus et naturali potentia atq; facultate vis superioris ac nobilioris animæ partis non ita conspiciatur.

VI. CAPVT.

Quænam sunt differentiæ quæ ad plenam virtutis definitionem pertinent & quid est virtus?

Virtus omnis id quod ea præditum dicitur, perficit. Quoniam ergo nihil perfectum est quod deficiat aliqua ex parte aut redundet, mediocritas quædam erit omnis virtus. Neq; verò ita simpliciter & nudè hæc accipienda sunt, verùm quando mediocritatem esse dicimus virtutem, medium intelligendum est, non rei & simpliciter, sed quoad nos, & quod obseruatis circumstantijs nostræ

stræ & alterius personæ, itemq; loci & temporis, in proportione quadam consistat. Illam proportionem quia nihil aliud melius definierit quàm recta ratio & vir prudens, virtus rectè definitur habitus proæreticus in mediocritate consistens, ea, quæ est ad nos, definitus ratione & vt vir prudens definierit.

Quomodo virtus medium est?

Virtus ratione vitiorum medium dicitur, at qua ratione bonum quid est, ea ratione extremum seu excellentissmum quid, cuius non sit excessus nec defectus quispiam, dicitur, non aliter atq; vitiorum mediocritas vlla esse negatur.

VII. CAPVT.

Est'ne singularum virtutum vt medij excessus quidam & defectus?

Hoc quidem ἐκ τῆς Διαγραφῆς seu delineatione omnium virtutum manifestum esse

dicit philosophus. Est autem delineatio illa talis: Virtutes omnes aut affectionibus vicinæ sunt, aut circa hos versantur simpliciter, aut quatenus appetitus in nobis ad bona externa refertur. In appetitu sunt, voluptas et dolor, è quibus circa voluptatem temperantia, circa dolorem fortitudo magis spectatur. Temperantia verò mediocritas quædam est inter ἀναισθησίαν & sordes, ac ἀκολασίαν, quam luxum seu intemperantiam dicimus, consistens: fortitudini verò excessus opponitur audacia, deficit ab hac mascula virtute animus imbellis & timidus. Circa externa quæ virtutes occupantur, ad externorum diuisionem distributæ sunt, cum fortuita quidem bona numerentur diuitiæ seu mobiles seu immobiles, honori autem iungatur nobilitas, & inter amicos cum tres virtutes illustres sint, circa honorem qualemcunq; Modestia, circa magnum, qualis nobilissimo cuiq; conueniat, Magnanimitas versatur,

ſatur, circa mobiles diuitias liberalitas, circa immobiles Magnificentia. Ex his virtutibus liberalitatis modum excedit Prodigalitas, virtutem non aſſequitur, verùm ab illa deficit Auaritia, Magnificentiæ vt exceſſus opponitur faſtus, defectus eſt inhis, qui cum magni quid tentent, parua admodum re deſtituantur. Modeſtia ambitionem & honoris contemptum, Magnanimitas tumiditatem & puſillanimitatem oppoſita vitia habet. Virtutes quæ inter amicos eminent tres ſunt ὁμιλητικαὶ dictæ, quarum vna Veracitas inter ἀλαζονείαν nugacitatem & εἰρωνείαν diſſimulationem conſiſtit, Vrbanitas verò inter βωμολοχίαν ſcurrilitatem & ἀγροικίαν ruſticitatem, Affabilitas deniq; inter κολακίαν ſeu ἀρεσκίαν adulationem et moroſitatem. Omnes ergo virtutes in mediocritate quadam conſiſtunt, & hæ quidem enumeratæ inter duo extrema, cum quomodo Iuſticia, itemq; Prudentia mediocritates ſint, in quinto & ſexto

horum librorum sit explicandum. Affectibus verò viciniores virtutes, Verecundia, Grauitas, & Nemesis, ipsæ mediocritates sunt, Verecundia quidem Impudentiæ et stupiditatis, Grauitas verò Iracundiæ seu Excandescentiæ, & fatuitatis, Nemesis inuidiæ & pessimi vitij omnium vitiorum τῆς ἀπαχαρεκακίας.

VIII. CAPVT.

Quomodo virtutes & vitia inter se opponuntur?

Virtutes inter se non opponuntur vt oppositæ quædam videantur: vitia autem non modo virtutibus sed & vitijs opponuntur, atq; vnum quidem vitium alteri vehementius opponitur quàm virtuti. Quod vitium inter duo, quorum alterum excessus habeat rationem, alterum defectus, virtuti magis opponatur, primùm inde notum est, si consideremus vtrum à virtute absit longius, cum id quidem magis opponatur. Magis oppo-

ponitur fortitudini defectus, timiditas, minus opponitur illi exceſſus audacia: at contrà temperantiæ magis opponitur tanq̃ exceſſus intemperantia quàm defectus ἀνοισθησία. *Deinde verò id vitium virtuti magis opponitur, ad quod vitium naturâ potius ducuntur homines* τῇ φύσει καπεραμμένοι. *Sic timidiores omnes naturâ, auari naturâ, intemperãtes & voluptuarij naturâ, quæ quidem fortitudini, liberalitati & temperantiæ maximè opponuntur. Nomen verò etiam viri fortis, nunq̃ timidus, ſæpe audax & temerarius fortitur, nomen liberalis prodigus, nunquam auarus, temperantis* ἀνάισθητος, *nunq̃ luxuriosus accepit. Atq̃ ita quidem de ſingulis iudicandum.*

IX. CAPVT.

Quomodo ſiquidem nobis naturalia ſunt vitia, ad virtutem progrediemur?

Medium obſeruando, ad quod à vitio illo quod virtuti maximè oppoſitum eſt & ad quod naturaliter omnes ducimur & incli-

nati sumus, ad id quod maximè oppositum est vitium contendamus oportet, vt ita medium facilius assequamur. Id verò etiam ex admonitione Calipsûs ad Vlyssem facilè intelligitur, cum iubet nauim agere extra fumum & intempesti maris fluctus, ne vel in Scyllam vel in Charibdin incidat & aut in saxa latentia impingat, aut freto maris abripiatur absorbeatur q. Est autem alter altero locus periculosior, cuius vt periculum deuitetur, in oppositam partem magis deflectendum, vt inde in medium mare facilior fiat transitus.

LIBRI TERTII.

I. CAPVT.

Cum vt honestè aut turpiter quis egisse dicatur, num idem ἑκὼν seu Sponte sua & sciens volens fecerit, quæri soleat, quid est τὸ ἑκούσιον & τὸ ἀκούσιον?

Id vt rectè definiatur, primum omnium quid sit ἀκούσιον, considerandum, ac siquidem animum

animum potius quàm factum nudum respicere conuenit, eos, qui secundum legem præmia & pœnas distribuere volunt, diligentiam hac in parte magnam adhibere oportet, vt, cum nullum sit factum seu honestum seu turpe, quod nõ aliquo modo ἀκούσιον aut ἑκούσιον dici posse videatur, de actionibus humanis et earum præmijs ac pœnis rectè statuant. Est ergo ἀκούσιον, quod vi aut per ignorantiam gestum est: violentum autem factum cuius principium est externum tale ad quod qui egit passus úe est, nihil contulerit, ac si vento quis feratur vehementiore. Sunt autem inter ἀκούσιον & ἑκούσιον actiones quæ dicuntur mixtæ.

Quales'nam sunt illæ actiones?

Quæcunq; metu maioris mali aut spe magni alicuius boni fiunt, vt quæ maritum liberatura carcere & periculo capitis, cum illo qui potestatem vitæ in maritum habet, turpiter consuescit, quiúe tempestate maris coactus

ctus bona è naui vel precioſiſsima in mare conjcit. Hæc qui facit, ἑκουσίως & ſponte ſua facit, cum principium illius actionis in ipſo ſitum ſit, per ſe verò hæc nemo vir prudens & honeſtus elegerit probaueritúe.

Quomodo verò ad hoc alij homines affecti ſunt?

Si quid egit quiſpiam ſumma adactus neceſsitate ſeu vi aut leui ignorantia, venia illi danda, ſi paſſus graue quid aut patitur, quia vi aut ſumma neceſsitate coactus, aut ignorantia & incogitantia quadam aliorum verbis perſuaſus deliquerit, miſericordiâ erga illum affici ſolent.

Num verò qui voluptate aut libidine ductus, quippiam fecit, coactus feciſſe videri debet?

Minimè, cum quidem hac ratione nihil non violentum dicendum ſit, ſed ſunt ad quæ nulla vi adigi debemus, mortem oppetituri potius quàm vt tale quid committamus.

Non

Non ergo audiendus Alcmœon apud Euripidem qui coactum se dicit vt matrem interficeret, vt nec is, cuius exemplum diuersis in locis adducit Aristoteles, qui parentem senio confectum cum crinibus ad limen vsq; ædium paternarum protraxisset, non alia ratione scelus excusauerit, quàm quia eousq; auum suum hic protraxisset, neq; se aliud à filio, quem ad iudicem adductum digito monstrauerat, præmium expectare dixit.

Estne verò quod per ignorantiam committitur ἑκούσιον an verò ἀκούσιον?

Non est ignorantiæ vnum genus, sed alia quidem est ignorantia facti seu particularis, alia iuris seu vniuersalis quæ et affectata dicitur, cum nemo ius suæ ciuitatis omnino ignorare debeat, ac quod per ignorantiam facti & circumstantiarum committitur, ἀκούσιον *est, quod secus gestum est,* ἑκούσιον *censeri debet.*

Qualia

Qualia censenda sunt quæ ab ebrijs committuntur?

Ἑκούσια, non ἀκούσια, *cum neq; vi externa neq; per ignorantiam excusari possint. Ac de vi quidem res manifesta est, at de ignorantia dubium videtur, cum qui non ad satietatem aut ad voluptatem bibisse contenti, furoris poculum hauriunt, his neq; mens neq; corporis membrorum quicquam satis suum officium faciat: at vt ignorantes & non deliberantes quid agant ijdem, tamen nemo illos rectè dicet per ignorantiam egisse. Nam & principium in illis fuit, & cuicunq; vitio aliâs magis obnoxius quispiam est, ad id ebrius velut impetu quopiam ruere soleat.*

Quo signo factum ἀκούσιον agnoscitur?

Si iam commisso facto quis pœnitentiâ ducatur, non quia pœna sustinenda sit, aut malum aliquod seu incommodum sequatur, sed quia fecerit.

Quid

Quid est ἑκούσιον?

Est cuius principium est in agente, sciente omnes actionis alicuius circumstantias.

II. CAPVT.

Quomodo differt προαίρεσις à reliquis?

Τῷ ἀκουσίῳ *potius opponitur, at cum* ἑκουσίῳ τῇ βουλήσει & τῇ δόξῃ *valde cognata est: Differt* ἀπὸ & ἑκουσίου, *quod* ἑκούσιον *non ita collationem requirit atq; proæresis, unde & tùm puerorum tùm reliquorum animalium actio* ἑκούσιος *dici potest, at proæresis in illis non est.* ἀπὸ τῆς βουλήσεως *à voluntate differt, quod voluntas est & τέλους ipsius boni (id enim volumus ac cupimus) proæresis autem seu electio est eorum quæ ad bonum conducere videntur. Opinio est veri aut falsi, & ratione opinionum nec laudantur neq; vituperantur homines, cum actio nulla laudetur aut vituperetur, nisi electio in agente libera fuerit. Nihil autem est cum quo ita iungatur electio*

atq;

atq; cum consultatione, cum & electio consultatio quædam videri possit. Est enim προαιρετὸν, ὡς ὂν πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν quod in consultatione alijs præfertur.

III. CAPVT.

Quomodo differt à consultatione?

Consultatio prior est, electio posterior, & de ijs quæ in nostra potestate sunt, quæque aliter se habere possunt, & ad nos pertinent, non autem de alienis, non de immutabilibus & æternis, vt nec de his quæ fortunæ subiacent, deliberationes & consultationes suscipiuntur.

IIII. CAPVT.

Cum voluntas sit alicuius boni, num cuiuscunque boni an verò tantùm veri boni?

Volunt aliquid & boni & mali, ac mali sæpe contraria volunt, boni non nisi id quod reuera bonum est: vt τὸ βελητὸν duplex sit,

sit, aliud quidem simpliciter bonum, aliud autem quod huic aut illi videatur, non aliter atq; è cibis alij simpliciter sanitati vtiles sunt, alij verò his qui ægrotant, quibus etiam dulcissima quæq; nonnunquam amara videntur.

V. CAPVT.

Est'ne virtus & vitium in nostra potestate?

Puerorum hoc est, lapidem in altum coniectum si recidat & alium lædat, dicere, non esse id proijcientis culpa factum, quia postquam iam in altum proiectus ad terram recidit, casus illius retrahi & cohiberi non possit, verùm principium in proijciente erat. Ita quoq; virtus & vitium in nostra potestate sunt ratione principij, actiones autem crebræ habitum efficiunt, qui vbi iam comparatus est, non ita videntur in nostra potestate hæc sita esse, facilius autem à virtute

Virtute ad vitia relabi quis poteſt, quam vt vitijs miſsis virtuti ſtudeat, cum naturâ vnuſquiſq; non autẽ ſimpliciter vitia ſectetur.

Quomodo intelligendus hic verſus, οὐδὲὶς ἑκὼν πονηρὸς ἀδ' ἄκων μάκαρ?

Ariſtoteles ex parte verum eſſe dicit, cum nemo contra voluntatem ſuam felix ſit, ex parte falſum, quòd qui mali ſunt, ſponte ſua mali ſint, non autem cogantur ad maliciam, nec ita perpetua ignorantia duci queant. Plato aliter interpretatus, nec miſerum quenquam ſponte nec inuitum beatum eſſe dicit. Iudicium autem de rebus expetendis aut fugiendis aliunde non ita ſtudio quopiam & per diſciſplinam conſequi poſſumus, ſed naturaliter alteri maius alteri minus lumen diſcernendi bonum & malum conceſſum, ac qui naturâ rectè ſe habet, is quod verè bonum eſt, vult, qui verò infirmiore præditus eſt iudicio, eligit & vult ferè ea

quæ

quæ apparent, cum aliquando reuera bona aut vtilia non sint.

VI. CAPVT.

Quid dicitur fortitudo?

Communiter quidem antè dictum est esse mediocritatem timiditatis & audaciæ. Timemus autem ea quæ mala sunt, cum Timor nihil aliud sit quàm opinio imminentis mali. Malorum verò quia non vnum genus, sed vt bona ita hæc quoq; distincta sunt, nequaquam ideo fortis quis dicitur quia pecunias audacter profundat, aut quia periculum in mari aut mortem è morbo non timeat, sed quia talem mortem non timeat quæ sit in bello, & talia non timeat pericula, quæ mortem citò allatura esse videantur.

VII. CAPVT.

Quænam opponuntur fortitudini?

Cum fortem circa ea quæ timenda sunt

versari dicimus, id quidem ita intelligendum non est, ac si nullum omnino periculum timeret, quomodo Celtas dicunt nec ignem nec terræ motum timere. Sunt enim quædam viribus humanis maiora, quæ timere & fugere vir fortis absq; ignominia possit. Vitia ergo fortitudini opposita sunt, primū quidem summa quædam ἀφοβία, furori similis, deinde φόβος, & tum θρασύτης, cui vitio obnoxij plærique θρασύδειλοι sunt, & lacessere quidem potentissimū hostem audeant, at vbi ad pugnam ventum sit, locum suum turpiter deserant. Fortes autem viri extra pugnam quieti, ab omni ostentatione alieni, vbi pugnandum fuerit, in ipsa pugna animi sui magnitudinem conspiciendam præbent.

Sunt ne autem fortes qui ob amorem, paupertatem, repulsam, aut tale quid, violentas sibi manus inferunt?

Non sunt, at nec audaces, verùm potius timidi, vt qui ipsa morte fugere mala velint, cum

cum fortis vir laborem & moleſtias, ipſiusq; mortis ab alio inferendæ periculum facilè ſuſtineat, quia honeſtum ſit, pro alijs pugnantem, hoſtili manu interemptum cadere, ſi ſors ita ferat, ſeruare tamen cupit, quantum in ipſo eſt, virum fortem & ciuem bonum patriæ, ſi cum ſalute patriæ fieri queat.

Quid igitur eſt fortitudo?

Eſt mediocritas circa ea quæ timere & audere homo debet, in his, in quibus dictum eſt, & quia pulcrum & honeſtum ſit, talia exoptat & ſubit pericula, aut quia non ſubire turpe iudicat.

VIII. CAPVT.

Sunt ne milites, nautæ, & alij id genus homines fortes?

Quinq; referuntur ſpecies adulterinæ fortitudinis, prima politica, cum honore aut pudore incitati pericula ſubeunt. Altera, qua metu pœnæ adacti nõ tam vt turpitudinem q̃ vt

dolorem & supplicium fugiant fortiter agere sustinent. Tertia est militaris seu nautica, qua fit vt propter experientiam facilius sese periculis exponant tùm milites tùm nautæ, qui tamen idem hoc vbi nulla victoriæ spes, facturi non sint. Quarta est, qua affectu seu iræ seu libidinis concitati maxima quæq; pericula aggrediuntur, quæ aliâs extra hos affectus non auderent. Quinta est τῶν ἐυελπίδων, *eorum qui propter imperitiam nihil non audent, vel quia sæpe antè vicerint, vel quia periculum non perpendant.*

Quomodo à vera fortitudine hæ quinq; species absunt?

Ad omnem virtutem tria requiruntur, noticia, electio, voluntas, ac noticiam quidem si spectes, quinta species, qua ob imperitiam multi periculis se exponunt, & quarta, qua cœco libidinis furore, aut impetu iracundiæ etiam viribus hominis maius quid audent, à fortitudine & vera virtute recedunt. In his autem

autem qui metu pœnæ, aut pudore, qui metus quidam videtur ignominiæ, aut non ita longè à metu quopiam abesse, vincuntur, vt in periculum se, quamuis manifestum, conijciant, electio libera non est, cum nisi coacti seu pœnæ formidine, seu ignominiæ metu, nihil egregium aut præclarum facturi esse videantur. Tertia fortitudo militum & nautarum, voluntatis constantiam nullam habet, quod non διὰ τὸ καλὸν, propter honestum, sed lucri gratia, hi quidem bellicis, illi verò maritimis periculis sese exponant, non autem salute patriæ & vtilitate publica moti. Primã verò speciem Aristoteles veræ fortitudini maximè vicinam & quartam maximè naturalem dicit, quod pudor & honoris cupiditas διὰ τὸ καλὸν parum absint, et ira cos censeatur fortitudinis.

IX. CAPVT.

Num in sustinendo magis dolore, an verò subeundis periculis fortitudo consistit?

Ferre animo virili aduersa, magis competit viro forti, quod & difficilius hoc sit & constantiam voluntatis magis probet. Vulnera autem ipsaq; mors non nisi patriæ ratione grauia & metuenda viro forti censentur, cum aliâs illius animo nihil possit accidere lætius, quam vel maximis sese pro patria periculis exposuisse & velut deuouisse.

X. CAPVT.

Circa quid occupatur Temperantia?

Circa voluptates mediocritatem quandam esse temperantiam, superiore libro ostensum est. Videntur autem voluptatum differentiæ tot, quot sunt quæ in nobis voluptatem percipere possunt. Sunt ergo voluptates aliæ animi, aliæ corporis. Circa voluptates autem versatur temperantia, non animi, sed corporis. Est verò & illarum voluptatum differentia quædam ratione sensuum, cum & auditus sit voluptas in cantionibus & fabulis,

&

& visus in picturis & statuis aut aliâs rebus pulcris, & olfactus in vnguentorum & fructuum odore, circa quarum rerum perceptionem et voluptatem intemperantia nequaquam nisi per accidens occupatur, sed circa voluptatem ex gustu & tactu. Sic vox bouis grata leoni, non vt vox est, sed vt escam sperat. Sic odor leporis cani gratus, non vt odor, sed vt cibus futurus est lepus. Sic visus puellæ iuuenem delectat, non vt visus modo, sed vt præsentiâ & τῇ σωφροσύνῃ puellæ iuuenis delectatur, quatenus nimirum illa voluptatem seu gustus seu tactus in memoriam reuocant, cum quidem circa gustus voluptatem & Venereorum temperantia & intemperantia occupentur.

XI. CAPVT.

Num circa omnem voluptatem gustus & tactus est Temperantia?

Non modo voluptates sed & simpliciter appetitus ita diuiduntur, vt vel communis sit

appetitus, vel proprius, & vni peculiariter conueniens. Est autem intemperantia maximè circa proprias voluptates, cum qui communi quadam ratione nimio ventrem replent cibo ij γαστρίμαργοι non ἀκόλαστοι *dicantur, temperantia verò etiam in communi appetitu modum seruat.*

Quis est ille modus?

Bona valetudo & firma ac labori sufficiens corporis constitutio, hæc duo modum definiunt quem Temperans vir seruare debeat, cum nec cibo & potu nec Venere vtatur, vt seu corpore seu animo minus valens aut infirmior reddatur, sed Venus illi liberis procreandis, cibus corporis viribus destinatur.

Quid opponitur Temperantiæ?

Ἀκολασία *Latinis intemperantia est, at qui omnino voluptates negligunt, rari cum sint, dici quidem possunt* ἀνανδροι, *at nomen peculi-*

peculiare his designandis nullum positum est. Nam & ab hominis naturâ alienum videtur, omnino aut præter modum voluptatibus abstinere, & ad voluptates verò omnes naturâ inclinamur

XII. CAPVT.

Vnde dicta ἀκολασία & qui nam ἀκόλαστοι?

Διὸ ἔστι μὴ κολάζειν, suntq; peccata hæc iuuentutis seu vt hîc philosophus loquitur παιδικῆς ἁμαρτίαι, quæ si non corrigantur seueriore animaduersione in pueris, animum faciunt in viris imbellem, corpus autem tradit libidinosa iuuentus senectæ languidum & effoetum.

LIBRI QVARTI.

I. CAPVT.

Quid intelligitur vulgo nomine Liberalis Prodigi & Illiberalis?

Omnia hæc de habitibus circa pecunias

aut ea quæ pecuniâ æstimantur, dicuntur. Liberalitas autem potius pro donatione pecuniæ quàm pro recusatione qua quis accipere nolit, sumitur. Illiberalitas pro reseruatione & studio nimio acquirendæ pecuniæ. Prodigalitas etiam cum intemperantia vulgò connectitur & qui intemperantes sunt, prodigi & contrà nominantur.

Quid reuera est prodigalitas?

Græci ἀσωτίαν dicunt, quòd qui prodigus sit rerum suarum, is semetipsum perditum eat, dum consumit quæ ad sustentandam vitam vtilia esse poterant.

Num donare an verò non accipere, potius conuenit homini liberali?

Donare potius est viri liberalis, cum & virtutis laus in actione consistat, & qui donant, agere, qui non accipiunt, non pati videantur, & his qui donant maior gratia referatur, magis etiam ijdem commendentur

quàm

quàm qui accipere recusant, cum quidem ratione iusticiæ eadem laude & eadem gratiarum actione digni sint, qui non accipiunt, quàm qui donant liberaliter, cum iure accipere debuerint, & deinde hoc tanquam proprium suum bonum, cuicunq; videretur, donare. Quod si verò circa difficiliora virtus occupatur, difficilius etiam est & molestius donare quàm non accipere id quod alius soluere debeat, liberalitas potius in donatione consistit quàm in recusatione & condonatione illius quod debebatur.

II. CAPVT.

Quomodo donare vir liberalis debet?

Primùm quidem non nisi honestæ rei gratiâ, vt qui honestis rebus & studijs addicti sunt, seruentur & alantur. Neq; verò sollicitè computabit quæ donauerit, sed animo donabit lœto & hilari, ita tamen vt & opum suarum habeat rationem, ne prodigus rerum propriarum, raptor fiat alienarum.

Qui'nam

Qui nam ad liberalitatem magis ninusue proni sunt?

Qui ab alijs seu hæreditario iure seu quibuscunq; alijs rationibus citra puluerem & laborem acquisiuerunt, ij vel mediocria bona cum possideant, liberaliores existunt, quàm qui suo ingenio & labore vel maximas cumularunt diuitias.

Quales sunt qui naturâ ad liberalitatem inclinantur?

Simplices et aperti, quiq; facilè decipi possunt, cum nec ita diuitijs studeant vt acquirant, nec magna diligentia conseruent, lætentur autem dando.

III. CAPVT.

Vter peior & à virtute remotior, prodigus an illiberalis?

Illiberalis seu auarus à liberalitate longius abest, cum nec donet libenter, accipiat autem ferè libentissimè, quanquam illius multiplices

ces

ces sint differentiæ. Plura verò præter prodigalitatem alia quidem vitia habet prodigus & vt prodigalitate non tàm alijs quam sibi noceat, tamen quia donationibus continuis illius opes sufficere non possunt, illiberaliter & iniustè aliunde quærere cogitur, & quia ferè ad conuiuia & commessationes ac voluptatum illecebras erogat, fit vt et ipse quoq; intemperanter viuat: at corrigi facilius & ad frugem redire prodigus potest, cum auaritia vitium naturale, quodq; cum ætate augeatur, nec vlla sit emendationis spes. Præterea nõ tantùm plures vitio auaritiæ quàm prodigalitatis obnoxij sunt, sed & cum vnum videatur prodigalitatis genus, species sunt illiberalitatis plures.

Quænam sunt illæ Species?

Illiberales qui dicuntur, illorum alij dando deficiunt, vt è pumice facilius lachrymam expresseris, quàm ab his nummum extorseris,

ris, qui vt aliena non cupiant, nec iniurij sint cuiquam, tamen nemo illorum munificentia frui potest, alij verò sordido & illiberali quæstu rem faciunt, & vel minimi lucri caussâ famæ & existimationis aleam subeunt. Qui verò exactionibus nimijs plebem onerant, aut etiam totius alicuius ciuitatis aut regionis prædam agunt, nec à sacro abstinentes tyranni, auari quidem non dicuntur, sed iniusti potius & impij.

IIII. CAPVT.

Quomodo differunt Liberalitas & Magnificentia?

Subiecto & fine. Primùm enim Liberalis quidem minores sumptus sæpius facit. Magnificus verò is dicitur primò qui magnos facit sumptus ac planè regios, vt qui in conseruationem eorum quæ publicè vtilia sunt, vt scholarum & templorum ac rerum publicarum pecunias erogat. Deinde verò cum liberalis paucioribus prosit, magnificus plurimos

mos promouet & re ac consilio iuuat, cum det magnificè & largiatur, & sint illius λαμπηνοὶ πράξεις, actiones illustres, & è quibus omnes & singuli non vnus tantùm aut pauciores vtilitatem capiant. Fit ergo vt qui Magnificus est, etiam liberalis sit et dicatur, qui liberalis, non item magnificus. Quid quod & consiliarij principum summi, nec non Academiarum Rectores, magnifici dicuntur? verùm aliena est isthæc ab hoc proposito significatio, cum non tam ob ædificiorum publicorum structuram, q̃ quia consilio rem iuuent publicam, isto honoris titulo ornentur.

Quænam sunt conditiones Magnifici?

Primò quidem scit & intelligit in quem vsum tantos faciat sumptus. Deinde verò sumptus etiã qui maiores videri possint q̃ ad opus, propterea facit, vt eò magis operi suffi-ciant. Cum summa verò delectatione et voluptate impendit, neq; sollicitè computat quantũ cuiq̃

cuiq; rei ad splendidissimum quodpiam opus sit impendendum. Studium autem illius non in eo consistit, nec cogitationes eò refert, vt quàm fieri possit parum exponat, sed potius vt opus relinquat quàm pulcerrimum. Medium deniq; seruat respiciens ad operis potius maiestatem quàm ad diuitiarum suarum modum.

V. CAPVT.

Qualia verò sunt magnifici opera?

Domum ædificat sibi quidem conuenientem, deinde verò in honorem Dei, & sacris peragendis aptam, splendidius, illius verò eiusdem munificentia peregrini & aduenæ cibo reficiuntur & vestitu donantur. Duo ergo cum maximè sint opera Magnifici, vnum ædium publicarum & sumptuosarum structura, alterum seruorum & clientum nec non externorum magnam turbam alere, qui summis non est præditus diuitijs, hic

hic magnificentiâ tandem ſuâ ad pauperta-
tem redigitur, ſecundum Epigrammatis ſen-
tentiam:

Σώματα πολλὰ τρέφειν ἢ δώματα πολλ' ἀνεγείρειν
Ἄτραπος εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.

Aedificare domos multorum paſcere ventres
Prona eſt in miſeram ſemita pauperiem.

VI. CAPVT.

Quænam ſunt huic virtuti oppoſita vitia?

Ex vna parte, virtuti tamen vicinior,
Tumiditas ἡ βαναυσία, qua & imprudenter
vbi magni faciendi ſunt ſumptus, illic
parcunt pecuniæ, & vbi parui faciendi ſunt,
maximos profundunt, cum in magnas res
ſi quid conferre volumus, Perſarum luxum,
in paruis Laconas imitari debeamus, non
quidem luxuriosè viuendo ſed potius operi
futuro ſplendido ſumptus impendendo. Fi-
unt autem ab his omnia non tàm vt plurimis
proſint, quàm vt diuitias oſtentent ſuas. Ex

altera parte οἱ μικροπρεπεῖς non impendunt maximis rebus sufficientes sumptus, sed cum plurimum aliquando erogauerint, tandem parua aliqua in re parci deprehenduntur, vt non tàm virtutis rationem habuerint, atq; pecuniæ, quam maximi cum faciant, ostentare tamen voluerunt.

VII. CAPVT.

Quomodo optimè intelligitur quid sit Magnanimitas?

Si ipsum magnanimum quis qualisue sit, considerauerimus. Est autem magnanimus qui cum dignus sit magno honore, magno eo affici se dignum iudicat. Nam qui citra dignitatem suam id facit, ineptus & tumidus rectius quàm magnanimus dicetur.

Cur autem honore se dignum iudicat non pecunia aut alijs rebus?

Honor enim virtutis est præmium & tale quod solum Deo ac, qui Deum imitantur, viris bonis deferri soleat, vt ita Magnanimitas

mitas sit velut ornamentum quodpiam virtutum. Reliqua verò minora sunt quàm vt virtuti conferri possint, aut ijs ipsis bonum virtutis recompensari.

VIII. CAPVT.

Quæ sunt conditiones Magnanimi?

Primùm quidẽ non qualemcunq; honorem cupit, nec à quibuscunq;, sed magnum & à laude dignis offerri sibi honorem vult. Deinde nec bonâ fortunâ nimis effertur, nec aduersâ nimis contristatur. Pericula neq; frequenter neq; parua sed magna subit. Ab alio accipere erubescit, quod beneficijs se superari nolit. Amicus est aut inimicus apertus. Inurias facilè obliuiscitur ac despicit sibi illatas. Res exoptat splendidas potius quàm vtiles, ipso etiam corporis motu, vocis grauitate & orationis tarditate, ad externos aut etiam eos qui aliqua familiaritate iuncti sunt, animum magnum ostendit, his ipsis ad inimicos & hostes concitatis vtens.

IX. CAPVT.

Quæ sunt vitia huic virtuti opposita?

In defectu peccat qui pusillanimis μικρόψυχος dicitur, in excessu χαῦνος fastuosus, non quidem malicioſi vtriq; sed tamen à virtute aberrantes. Excessui verò Magnanimitatis excessus Magnificentiæ valde iunctus est & affinis.

X. CAPVT.

Est'ne & alia quædam virtus præter Magnanimitatem circa honorem occupata?

Est, & quidem circa honores minores, Latinis & Græcis certo nomine carens. Fit autem vt, cùm vel cupidiorem honoris atq; decet, tanquam aptum rebus gerendis, laudemus, vel quia modum seruare videatur, eum qui honorem non appetat, & ambitioſi & inglorij vtriq; partim reprehendantur, quòd is quidem honorem contemnens simul desidiâ quapiam rempublicam negligat, partim verò ob dictas cauſſas commendentur, ipſaq;

ipsaq; virtus Latinis quidem Modestia, Græcis aliâs φιλοτιμία, aliâs ἀφιλοτιμία dicatur.

XI. CAPVT.

Quid est grauitas & quæ illi opppositа vitia?

Est mediocritas circa iram. Oppositum vitium in defectu nomine caret, ἠλίθιοι *verò dicuntur qui ridiculi planè irasci non possunt, sed facili aliqua de caussa cum irati videri velint, in ipso illo gestu fiunt risui omnibus: Virtus* πραότης *dicitur, excessus verò à virtute remotior, cum ὁ πρᾶος iram reprimat & humani à se nihil alienum putet, multiplex est. Vitium ergo in excessu generaliter* ὀργιλότης *iracundia appellatur, cuius species sunt tres. Alij enim facilè iram concipiunt et deponunt facilè quales* ἀκρόχολοι *dicuntur, vitium Latinis Excandescentia: alij paulatim conceptam iram multo tempore seruant, quos* πικροὺς *& amarulentos vocant: alij deniq; non nisi animum expleuerint suum*

fuso illius cui iniustè irascuntur, sanguine, quiescere possunt. Hos Philosophus χαλεπὸς dicit, Latinus virulenti nominantur, & vitium ipsum virulentia, quod & difficile sit cum eiusmodi hominibus conuersari, cumq; virtuti ὀργιλότης opponatur, hæc illius pars existat pessima. Ab hac nec βαρυθυμία longè recedit, quam Homerus κότον dicit, loquens de ira principium, qui quacunq; ratione offendantur, iram diutissimè seruent, donec quod sibi proposuerunt perficiant.

XII. CAPVT.

Quod si cum his commodè viuere non possumus quot sunt virtutes quibus in conuictu studendum?

Tres omnino, quarum duæ ad voluptatem & hilaritatem, vna ad res serias dirigitur. Ordo inter has seruatur ab opposito τῆς ὀργιλότητος & coniunctione cum grauitate ad affabilitatem, ab hac ad cognatam, nimirum ad veracitatem & inde ad vrbanitatem.

Qualis

Qualis est virtus ἡ φιλία siue humanitatem siue affabilitatem dicas & quæ illi opposita vitia?

Nomen virtuti positum non est, sed à cognatæ rei appellatione ad virtutem significandam translatum. Vitia sunt ἀρεσκία & δυσκολία, cũ qui ἄρεσκοι dicuntur virtuti quidem propiores, eo tamen ipso peccent, quod ad quæuis applaudendo ad placitum aliorum omnia dicant & faciant, qui verò δύσκολοι & δυσέριδες vocantur, contentiosi cum sint, nihil probant nisi quod ipsi dixerint fecerintúe. Virtutis est, quæ probanda sunt probare, quæ improbanda, si non ratione conuincere velis, saltem non approbare, nomen à proprio amicorum, qui ab adulatione alieni, simul morosi non sunt, impositum est, vt φιλία appellaretur, quæ obseruatis circumstantijs personarum cum quibus conuersandum, nihil à virtute & recta ratione ac prudentia alienum dicit aut facit.

XIII. CAPVT.

Quæ est altera virtus ὁμιλητικὴ?

Veracitas, non illa quæ est in contractu qualis ad iusticiam refertur, nec illa quæ est circa vniuersalia, quæ cum sit opinionum, virtus non appellatur, sed quæ est in amicis confabulationibus, rei ab alio gestæ vt gesta est, non augendo nec detrahendo, potius tamen aliqua reticendo, quàm quæ facta non sint, fingendo aut in maius extollendo.

Quænam opposita vitia?

Excessu peccat ἀλαζονεία garrulitas inanis, quæ si nulla sit commodi spes, hoc nomine appellatur, si verò ob lucrum et priuatum emolumentum in gratiam alterius res augeatur, κολακεία hoc turpissimum vitium, Latinis adulatio dicitur. Deficit à virtute, pauciora quàm quæ gesta sint, referendo aut dissimulando εἰρωνεία, melior tamen ὁ εἴρων quàm seu garrulus seu adulator.

XIIII. CA-

XIIII. CAPVT.

Quæ est tertia virtus ὁμιλητικὴ?

Vrbanitas, Græcis ἀστεῖα, qua & iocos sale sapientiæ conditos, id est eruditos, qui tamen simul leniter pungant & vrant congerronem, spargere possumus, & si quippiam in nos alius dixerit, dextrè accipere, inq; bonam partem vertere.

Quæ nam opposita vitia?

Excessus dicitur βωμολοχία, eorum qui nec ab iniuria abstinent, nec sibimetipsis parcunt, modo risum concitent, molestum hominum genus. Defectus vocatur ἀγροικότης, & ἄγροικοι sunt, qui nullos ferre iocos possunt, cum ipsi alios exagitare & vellicare non desinant, prioribus longè molestiores.

Verecundia est'ne virtus?

Non est, sed potius passio quæpiam, nec omni ætati competit, sed tantùm iuniores de-

cet, cum nec committere vir talia debeat, nec commisisse videri senex, ob quæ coram aliis pudore suffundatur. Pueri aut puellæ color pulcerrimus qui est ex pudore, viro autem & seniori rubore ex pudore suffundi turpe est. Idem ferè de continentia statuendum, quæ nec ipsa virtus est, sed medio quodam modo se habet inter virtutem & naturalem inclinationem.

LIBRI QVINTI.

I. CAPVT.

Quid est Iusticia vniuersalis?

Est secundum quam ad iustas actiones obeundas apti sunt & iusta agunt & volunt iusta. Iniusticia verò vniuersalis est secundum quam iniustè agunt & volunt iniusta.

Quid differunt Iusticia vniuersalis & particularis?

Iusticia vniuersalis ad omnes sese virtutes

tutes extendit, etiam illas quæ in societate humana & vnius cum altero conseruatione non spectantur, at Iusticia particularis in vitæ societate et alterius ad alterum respectu consistit.

II. CAPVT.

Est ne particularis quædam à reliquis virtibus distincta Iusticia?

Est, qui enim contra reliquas virtutes peccant, ad hos nihilo plus commodi aut lucri accedit, nec si quid per auaritiam seu non dederint seu acceperint, at si deceperint, commodum priuatum manifestius est, hæcq; iniusticia est. Distincta ergo est ab alijs vitys iniusticia, & proinde ab alijs virtutibus Iusticia.

Quotuplex est Iusticia particularis?

Duplex. Alia est iusticia distributiua, alia commutatiua, quarum prior Διανεμητικὴ *posterior* συναλλακτικὴ *vocatur. Iusticia rursus commutatiua, in contractu versatur, qui*

qui vel voluntarius est vel inuoluntarius. Contractus voluntarius aut dolosus est aut violentus, vt furtum, adulterium, cædes, quibus & similibus delictis non minus, quinimo vehementius obligantur homines quàm voluntarijs illis, emptione, venditione, locatione, conductione, mutui sumptione, & id genus alijs.

III. CAPVT.

Quale quid esse iusticiam dixerunt veteres?

De iusticia quidem vniuersali intelligendum est quod veteres dixerunt, nec hesperum nec Eoum ita fulgere vt inter reliquas virtutes emineat Iusticia, in qua omnes simul virtutes comprehendantur. De particulari Iusticia Pythagoras dixit esse quaternarium numerum, quod æqualitatem seruet, cum hic quidem numerus pariter par in duas æquales partes vsq; ad vnitatem diuidatur. Pythagoræi τὸ δίκαιον, vt paulo post declarabitur, dixerunt esse ἀνισοπαθοῦς. Id quàm

verè

verè dixerint, deinceps videbitur, hoc modo constat τὸ δίκαιον rectè ἴσον, τὸ ἄδικον ἄνισον dici, & inæqualitatem in iniusticia, æqualitatem in iusticia apparere.

Est'ne vnius generis, tùm in distributiua tùm in commutatiua Iusticia, æqualitas?

Non est, sed cum omnis æqualitas aut inæqualitas in duobus primò spectetur, medium tamen quo æqualitas aut inæqualitas in diuersis rebus deprehendatur, velut mensura quædam est & regula, quam adhibere oporteat. Tale medium ac regula est ipsa Iusticia, quæ πρὸς ἀξίαν seu πρὸς τὸ κατ' ἀξίαν, hoc est ad dignitatem seu precium rei respiciens, τὸ κέρδος seu lucrum, quod læso altero ad alterum accessit impositâ ζημίᾳ seu pœnâ illi qui læsit, ad æqualitatem redigit. Differunt autem Iusticia distributiua & commutatiua, quod distributiua quatuor inter se confert, commutatiua autem tantùm duo, & in distributiua tùm personarum tùm rerum habe-

habetur ratio, in commutatiua tantũ rerum. Nam et Achilli obtenta præda, maius quàm Aiaci præmiũ debetur, quod à distributiua Iusticia decernendum est, & siue Achilles siue Aiax, siue ingenio excellentissimus & manu promtissimus sit, siue minus promptus aut etiam infimæ conditionis, in contractu, personæ non habetur ratio; nec ita in inuoluntario. Nec enim plus frumenti aut panis emptori excellentissimo eodem precio venditur quàm abiectissimo cuiuis, & si in contractu esset habenda ratio personarum, infinita fieret confusio, vt & in inuoluntarijs, vt adulterio, homicidio, sacrilegio, si hic pœna liberaretur, is plecteretur, seditiosæ inde plebis voces orirentur. At in honoribus & emolumentis publicis, excellentiori, virtutis præmium maius, minus excellenti, præmium minus, degeneri & inepto, nullum debetur. Est ergo alterum discrimen, quod cum ♎ & ♎ in distributiua Iusticia consi-

derandum

derandum sit, & tùm ad personam tùm ad rem respiciendum, quod pœnam non ita infligit distributiua iusticia nisi & hæc pœna est, ad honores & emolumenta publica ob desidiam non admitti, sed minus largitur vt æqualitatem conseruet & studium virtutis in ciuibus: at commutatiua Iusticia pœnam infligit vt lædentem læso & contrà læsum lædenti, ratione rei & excessus ac defectus æqualem reddat.

IIII. CAPVT.

Qui'nam & quomodo in commutatiua Iusticia æqualitatem procurant?

Modus quo illam æqualitatem in commutatione & contractu iudex, in distributione verò τὸ κύριον τῆς πολιτείας seu princeps seu senatus, assequitur & constituit, est ex diuersa proportione. Seruabit enim Princeps in distributione præmiorum virtutis proportionem Geometricam, nec tantum vni quantum alteri, sed ad virtutem respiciendo, meliori maius, digniori minus præmium largitur,

vt

Vt si dupla sit virtutis in hoc ad alterius virtutem proportio, duplum hic præmium ferat, ille dimidio contentus sit: Iudex verò legem constituit & controuersias dirimit, proportione Arithmetica vt æqualitas seruetur simplex, nec precium merces venditas superet, & in inuoluntario, oculum pro oculo, manum pro manu, homicidium vltimo supplicio velut exæquat. Fit autem vt & in distributione sit velut commutationis quædam figura, & vt in commutatiua Iusticia precy & mercium, ita in distributiua præmy & virtutis æqualitas appareat, & rursus in commutatione & contractu præsertim inuoluntario pœna, velut distributione facta, per proportionem Geometricam adhibita, æquiore rigidissimi iuris moderatione, certæ personæ nonnunquam leniantur.

V. CAPVT.

Est'ne ergo vt pythagoræi dicebant, iustum simpliciter ἁπλῶς πρὸς ἕτερον?

Nec

Nec distributiuæ Iusticiæ id conuenit nec commutatiuæ omnino, cum in distributiua passio nulla appareat, sed è publico in singulos distributio fiat, at nec in commutatiua simpliciter id iustum statuendum si quis idem patiatur quod fecerit. Nam vt de inuoluntario contractu seu obligatione ex delicto dicamus, si principem quis verberauit, non is simpliciter verberibus sed & supplicio afficiendus videtur: Si princeps verberauerit quempiam, non verberandus statim princeps. Quid quod nec in voluntario contractu, contrapassum τὸ ἀντιπεπονθὸς, quo quod fecimus id vt ab alio patiamur expectamus, locum habet? Neq; enim ex medico & medico sed ex medico & agricola constat omnis respublica, & si sanauerit medicus agricolam, non vt iterum ab agricola sanetur, sed frumentum requirit, & hic frumentum mittit, non vt recipiat frumentum, sed quia sanauit agricolam medicus.

Quoniam verò commodissima sit commutatio per nummum, nec illa τὸ ἀνυπέρθετον admittit, cum nummus quidem lege, at res venales ab hominibus vtilitate æstimentur. Fit enim vt quæ necessaria sunt, de his abundè vnicuiq; ferè regioni sit à Deo Opt: Max: prospectum, eaq; minori ferè precio vendantur, vt lac, caseus, butyrum, frumentum, corium, quæ verò minus sunt necessaria, maiore, vt gemmæ, margaritæ, sericum omnis generis, & quæ his similia.

VI. CAPVT.

Quid est ciuile seu politicum iustum?

Est id quod in communione vitæ constitit vt sibi sufficiant liberi homines & æquales aut secundum proportionem aut secundum numerum. Est enim finis iuris vt singulis & omnibus in republica bene sit, siue illi æquales sint secundum numerum, vt in Democratia, siue secundum proportionem virtu-

virtutis in Aristocratia, siue secundum proportionem diuitiarum in Oligarchia. Respicit ergo politicum iustum primò distributiuam, secundò verò commutatiuam Iusticiam.

VII. CAPVT.

Quotuplex est politicum iustum ratione originis?

Duplex, aliud naturale, aliud legitimum, naturale quidem quod vbiq; locorum eandem rationem habet, legitimum verò quod ad certum locum & ciuitatem dirigitur.

Quæ est differentia politici iusti legitimi?

Illius aliud naturali vicinius est, aliud longius abest, quorum illud diuturnius, hoc minus diu durat. Tandiu verò etiam naturalia multa iusta ponuntur, quandiu ciuitati vtile est. Similitudine res declarata fit manifestior. Quemadmodum enim, inquit philosophus, vbi primò rem emunt, vt vinum, frumentum, sericum, illic mensura & vini & fru-

frumenti & verò etiam panni maior, adeo vt vbi primò res emitur, nonnunquam simplici æstimatione absq; vllo pondere & mensura res ematur, vbi vendunt, minor est mensura, minus pondus, ob maliciam eorum qui lucri causſa & mensuram minuunt & precium intendunt, vtilitati priuatæ addicti, cum quidem vtilitatis publicæ habita ratione leges, illic vbi malicia maior, pœnam augeant, aut etiam pro qualitate regionis ipſæ leges immutentur, & leniatur, augeaturue legibus definita & conſtituta pœna.

VIII. CAPVT.

Quid differunt ἄδικον, ἀδίκημα, δίκαιον, δικαίωμα & δικαιοπράγημα?

Iuſticiæ non est exceſſus aut defectus vt reliquarum virtutum, nec duo illi opponuntur vitia, ſed vnum, nimirum Iniuſticia, quanquam & iniuriam quis pati & iniuſtè facere queat, vt ita ratione actionis ac paſſionis medietas

dictas quædam sit iustitia prohibens, ne vel agat ille vel hic patiatur iniustè. Ipsum ἄδικον seu iniustum aut naturæ aut legi repugnat, quod quando committitur, ipsum factum vocatur ἀδίκημα: τῷ ἀδίκῳ τὸ δίκαιον opponitur, τῷ ἀδικήματι τὸ δικαιοπράγημα, cum & ἀδικήματος correctio sit δικαίωμα. Hæc verò vocabula, vt ita commodè Latinè reddi non possint, tamen declaranda sunt, quod in hac doctrina sæpissimè illorum mentio fiat, & distinctionem ac differentiam habeant in Ethicis necessariam.

Quot sunt iniuriarum ratione lædentis & principij diuersitates?

Tres. Est enim aliud ἀτύχημα, cum quis per ignorantiam deliquit, aliud ἁμάρτημα, cum inconsideratè peccauit, quorum illud veniam meretur, hoc autem, si affectu quopiam naturali aut humano factum non sit, excusari nequit, cum ἀδίκημα à sciente, vo-

lente, summa petulantia aut malicia committatur.

IX. CAPVT.

Fit'ne etiam volenti iniuria?

Iustus nemo dicitur, nisi qui iustè egerit sciens volens, iniustè pati nemo dicitur, nisi qui nolens: vt ita quemadmodum Iusta actio ratione agentis, voluntario, ita iniusta passio ratione patientis, inuoluntario definiatur. Vt autem actiones sint, quæ medio sese modo habere videantur, tamen principium semper in omni actione spectandum est. Qui ergo ebrietate in morbum aut aduersam fortunam incidit, vt apud honestos viros (qui quidem cum honesti sint illum ad furoris aut morbi poculum adacturi non fuerunt) nimio se vino inuoluitauerit, non potest dicere iniuriam sibi factam, cum per ipsum steterit, modicè vino & Dei Optimi Maximi benignitate concesso cibo vti. Volenti itaq; non

fit

fit iniuria, & tùm quidem multò minus illi iniuria facta dicetur, cum non modo ipse ignorans passus quid fuerit, sed & alter per ignorantiam deliquerit à quo iniuria facta videri poterat.

X. CAPVT.

Quid est æquitas?

Est correctio legis seu iusti politici legitimi, ea parte qua lex vniuersalior est. Nam cum aliàs amplissima sit scientia Iuris, infinita quidem illa foret, nisi lex, quantùm fieri potest, vniuersalis constitueretur. Quoniam verò ob multiplicem rerum circumstantiam nulla lex est, qua inuenta ac posita non sint qui fraudulenter & calumniosè lege vtantur, ipsaq; lex nulla tam firma, quæ non aliquam habeat exceptionem, Vir æquus et bonus, qui ne æquus quidem esse potest nisi idem bonus sit, consideratis circumstantijs videt ne illi qui quod simpliciter & primò

iustum est contradicat, sed rigorem iuris ita moderetur ac leniat, vt & iure simul & humanitate atq; affectione erga hominem simpliciter, non hunc aut illum, itemq; respectu ad bonum excellens in hoc aut illo homine motus dici possit, & ratione habita temporis ac loci, quid, cui, quomodo factum sit, quis, quomodo, quaue pœna afficiendus esse videatur, iustam simul & æquam sententiam pronunciâsse videatur.

Quomodo se habet æquitas ad Iusticiam?

Non est à Iusticia diuersa, sed vtraq; bonum respicit publicum, neutra priuatum, nec Iusticiâ aut lege melior est, cum non sit iusticiæ simpliciter correctio, sed iusti legitimi seu legis qua parte lex vniuersalior est: siue non omnia considerare potuerit legislator, in quibus diuersitas aliqua appareat, siue aliqua sit rerum & in personis respectus diuturnitate temporis diuersitas facta.

XI. CA-

XI. CAPVT.

Num quis sibijpsi iniuriam facere potest?

Nec suam quis pecuniam furto surripere potest, nec suam coniugem adulterio corrumpere, nec vt sibijpsi vim inferat, sibi iniuriam facere potest. Est enim iusticia & iniusticia inter plures, verùm quod ne possit quidem sibijpsi pecuniam eripere, nec si legitima sit & iam sua vxor, vt adultera vti queat, delictum quidem quod nullum est neq; committi potest, quomodo lex punierit? At τὸν αὐτόχειρα qui manus sibi infert violentas punit lex ea ratione qua potest, ignominiosa sepultura, cum nō tam in seipsum quàm in ciuitatem iniurius fuisse videatur. Nam & si bonus fuit, bono ciue rempublicam priuauit, sin malus, cum reipublicæ interfit, ne delicta maneant impunita, vel hanc ob causſam puuendus est, quod animaduertendi in malum ciuem & exemplum statuendi oc-

casionem reipublicæ ademerit. Quomodo ergo videt meliora probatq́, Deteriora sequens Medea? Referenda illa sunt ad generalem rationem omnium virtutum, in quibus rationis in appetitum imperium, velut patris in filium aut etiam domini in seruum tyrannidi similius, patris autem in filium pricipatui legitimo & honesto affine, conspicitur. Si quis ergo seu ira commotus & indignatione, quales ferè gladio vitam finiunt, vt, Aiax, seu amore vt qui laqueo perijt Iphis, seu auaritiâ, quæ multos vbi spe sua minus lucrũ ex re venali vt frumento aut mercibus consequuntur, in Tantali fluuium, vt immodicam auri sitim expleant, præcipites agit, sibijpsi vim infert, is appetitum contra rationem & bestiam contra mentem ac diuinæ originis animam non armauit solum sed & æternæ morti subiecit, iniurius erga Deum, iniurius erga ciuitatem & animam suam, quam, qua æterna constat salus, con-

iuncti-

iunctione cum Deo priuat, diabolorum verò arbitrio & potestati, quæ æterna miseria est, permittit.

LIBRI SEXTI.

I. CAPVT.

Quid est recta ratio?

Est illud ipsum iudicium de ijs quæ modo sic modo aliter se habere possunt, homini innatum, ad tuendam vtilitatem publicam non priuatam. Est ergo recta ratio & illius partis quæ rectè rem cognoscit, & illius quæ in consilijs versatur, velut optimus quidam habitus.

II. CAPVT.

Quot sunt principia veritatis & omnium actionum in homine?

Tria, sensus, mens, & appetitus, è quibus veritatis principia sunt sensus & mens seu ratio iunctum habentes appetitum.

Vnde

Vnde ergo oritur recta ratio?

Analogicè hæc ſpectatur in appetitu & ratione, cum quod in intellectus operatione ſeu ratione eſt affirmatio & negatio, id in appetitu ſit proſecutio & fuga. Vt ita quia electio ſit appetitus cum conſultatione, & rationem veram & rationem rectam eſſe oporteat, & eadem tùm rationem affirmare tùm appetitum ſequi, ſi modo honeſta electio ſit futura.

Quid eſt, ſi quis breuiter deſcribere velit, electio?

Electio aut appetens ratio aut appetitus eſt ratiocinans.

De quibus rebus deliberant?

Non de præteritis, ſed de præſentibus in futurum.

Quod eſt opus vtriusq; partis animæ & illius quæ contemplatur & illius quæ deliberat?

Veritas: at quæ contemplatur veritatis cogni-

cognitione contenta est, quæ deliberat, Veritatis cognitionem aliò dirigit.

IIII. CAPVT.

Quot ergo sunt habitus qui veritatem respiciunt?

Quinq; sunt habitus quibus aliquid affirmamus aut negamus, Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus. Opinio autem & suspicio, quarum illa contemplationis magis est, hæc ad actionem refertur, Vtræq; incertæ sunt, opinione tamẽ suspicio languidior est, & suspicionibus qui indulgent, mali ferè sunt, cum ex suo ingenio alios iudicent, nec opinioni & suspicioni Vllus habitus tam opponitur atq; scientia.

Quæ sunt conditiones scientiæ?

Primò quidem certa esse debet, deinde versari circa æterna, quæq; eodem modo se habent, quatenus ad scientiam pertinent.

Est

Est verò omnis scientia talis vt doceri possit, ac proinde certus nitatur principijs, è quibus conclusiones suas conficit.

IIII. CAPVT.

Quinam ergo habitus ex illis quinq; circa contingentia versantur?

Ars & prudentia, quæ ita mutuo differunt vt effectio & actio.

Quid est ergo ars?

Est habitus secundum veram rationem aliquid efficiendi.

Quæ sunt conditiones artis?

Omnis ars ad generationem seu productionem alicuius rei dirigitur. Omnis artus principium est in ipso efficiente non autem in effecto. Et quodammodo circa idem occupantur ars & fortuna. Arti opponitur ἀτεχνία *inertia.*

V. CA-

V. CAPVT.

Quid est Prudentia?

Est habitus agendi aliquid secundum rectam rationem, circa ea quæ homini bona aut mala sunt.

Quæ sunt conditiones prudentiæ?

Artis finis externa operatio, Prudentiæ interna est & ad bonum non tantùm priuatum huius aut illius, sed & publicum vniuersorum, consilia sua refert. Prudentiæ principium est, & plurimum ad illam conducit, Temperantia, cum omnia honesta consilia (hæc verò sola constantia & verè vtilia) libidine & crapula peruertantur.

Quod est solidũ discrimen artis & prudentiæ?

Artis est virtus quædam & excellentia, at prudentiæ virtus non est, sed prudentia ipsa virtus est. In arte qui sciens volens peccat

peccat artem dissmulaturus, eo ipso artificiosior videtur, cum, qui ex ignorantia id facit, imperitus meritò habeatur, at si prudentiam spectes, qui sciens volens siniſtrum consilium suggerit, peior est illo qui nesciens aut non volens sit infelicis consilij autor.

VI. CAPVT.

Quid est intelligentia, & quomodo à reliquis differt?

Scientia omnis est conclusionis ex certis principijs extructæ, at ipsorum principiorum scientia non est, neq; ars neq; prudentia, cum quidem hæ duæ contingentium sint, non æternorum. At neq; sapientia est principiorũ, cum sapientia circa nulla versetur, quorum non sit demonstratio. Quoniam ergo non nisi quinq; sunt habitus intellectus, relinquitur intelligentiam esse habitum principiorum.

VII. CAPVT.

Quid vulgò intelligunt nomine Sapientiæ?

Excel-

Excellentiam in quocunq; genere habituum intellectus præter intelligentiam, cum & pictores & statuarij sapientes ob excellentiam dicti sint, & qui consilijs rempublicam plurimum iuuant, sapientes dicantur. Qui verò in scientijs excellunt, illi iam magis propriè sapientes appellari videantur.

Quid est propriè Sapientia?

Est habitus ex intelligentia & scientia veluti coniunctus.

Quæ sunt conditiones sapientiæ?

Versatur non nisi circa honoratissima & diuinissima, nec sapientes hi dicuntur qui vtilitati priuatæ addicti sunt, vt sibijpsis vel maximè hi sapere videantur, quiq; propriè sapientes dicuntur ijdem ad reipublicæ administrationem ferè ineptiores sunt.

VIII. CAPVT.

Quot sunt species prudentiæ?

Tres, ac primò quidem ipsâ prudentia maximè videtur esse quæ est circa vnum & eundem, vt quæ principia contineat Oeconomicæ & domesticæ prudentiæ, itemq; ciuilis quæ politica dicitur.

Quid differt à reliquis habitibus prudentia?

Ab Arte & Sapientiâ distincta iam antè fuit, à Scientia et Intelligentia ita differt, quod nec scientia nec prudentia est principiorum sed conclusionis, qualis in scientia est veritas, in prudentia bonum, at intelligentiam habitum diximus principiorum. A scientia differt, quod scientia intelligentiæ propior, communioribus nititur principijs, at prudentia sensibus & communi consensu.

IX. CAPVT.

Quot sunt prudentiæ velut partes?

Octo, quarum prima est ἡ εὐβουλία consultatio, quam definit Philosophus rectitudinem consilij secundum vtilitatem ad certum aliquem

aliquem finem, cuius finis velut opinio quædam vera est ipsa prudentia. Vt hæ nec partes simpliciter, nec actus prudentiæ dici possint, sed ad prudentiam directæ operationes.

X. CAPVT.

Quæ est altera veluti pars prudentiæ?

Synesis, quæ cum circa eadem versetur, circa quæ & prudentia, differt à prudentia, quod quæ prudentia imperat ipsa Synesis facilè arripit & approbat, dicturq́ συνετὸς, qui quæ à prudentibus dicuntur, bono iudicio seu naturâ seu & ipse experientia instructus facile arripit & comprobat.

XI. CAPVT.

Quid est γνώμη?

Est rectum iudicium ad æquitatem pertinens, seu, est rectum & æquum iudicium, Hinc & æquum virum eum maximè esse existimamus, qui prudenter humanã fragilita-

tem perpendendo, non ita præcipitanter de delictis aut erratis aliorum sententiã fert & statuit. Æquitas verò non tantùm ad delicta sed & ad voluntarios contractus & ad omnium bonorum communionem refertur, & in his infirmiori, sine tamen summo grauamine aut detrimento alterius, consulere nititur.

Quomodo se habent γνώμη & σώφεσις ad εὐβελίαν & prudentiam?

Nemo naturâ dicitur prudens aut sapiens aut bonis consilijs dandis valere, cum σώφεσις & γνώμη, vt & intelligentia, naturâ etiam insint, σώφεσις de rebus in vita bonis naturale quoddam aut educatione acquisitum iudiciũ sit, γνώμη verò naturale æquitatis iudicium.

XII. CAPVT.

Quod'nam præceptum illi qui vel non ita naturali valet iudicio, vel vt valeat, rerum vsu non est instructus?

Obœdire senioribus, in his præsertim, quorum

rum demonstrationes exquisitæ non sunt. Seniores enim oculum habent experientiæ, & seniores non tantùm qui viuunt, sed & qui ante nos vixerunt, & quorum seu scripta extant, seu facta commemorantur, sunt intelligendi.

Quis verò sapientiæ propriè ita dictæ ad vitam vsus est?

Ad vltimum illa hominis finem simpliciter dirigitur, & ad finem illius qui verè homo est, nimirum ad contemplationem Dei & diuinorum, vnde reliqua omnia originem sumunt. Prudentia verò non simpliciter ad vltimum finem, sed vltimum & optimum huius vitæ finem refertur.

XIII. CAPVT.

Quomodo se habent reliquæ illæ naturales dores & inclinationes ad prudentiam?

Prudentia est ἀρχιτεκτονικὴ, quæ his omnibus imperat & ipsas instruit, illarum verò aliæ velut gradus sunt ad prudentiam, vt

consultatio, electio, voluntas, aliæ prudentiæ propiores, vt industria ac promptitudo in deprehendendis caussis actionum, itemq; coniecturæ felicitas naturalis, aliæ habitibus propiores vt εὐβουλία bona consultatio, Synesis & γνώμη, seu naturale de iustis ac vtilibus & de æquis ac iniquis iudicium, quo multos cognitione iuris & legum non instructos, nec experientia multiplici edoctos valere videmus. His omnibus velut regina præest prudentia.

Si ergo prudentia imperat artibus & scientijs, itemq; naturalibus illis donis præstantissimis, num & sapientiæ imperat?

Phrasis quæstionis huius, non attendenti ad consuetudinem loquendi Aristotelicam, obscurior videri potest. Intelligitur ergo nomine Sapientiæ Theologia, quæ est de Deo & diuinis, de qua vt ethnicorum Theologia mutila necessario sit et manca, tamẽ quæstionem mouit Aristoteles, num & huic imperare debeat Prudens, qui illi idem est cum Poli-

Politico seu Ciuili magistratu. Quæstio ita commodè Latinè dissolui non potest, quemadmodum Græcis verbis à Philosopho soluitur, negante conuenire ciuili magistratui imperare religioni, cum ait: ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κυρία γέ ἐστι τῆς σοφίας, ὥσπερ οὐδὲ τῆς ὑγιείας ἡ ἰατρικὴ, οὐ γὰρ χρῆται αὐτῇ, ἀλλ' ὁρᾷ ὅπως γίγνηται, ἐκείνης ἕν ἕνεκα ἐπιτάττει, ἀλλ' οὐκ ἐκείνῃ. *Quemadmodum, inquit, medicus non imperat valetudini, sed valetudinis caussâ omnia facit, ita ciuilis magistratus cultui diuino non imperat, nec controuersias de diuinis ipse dirimit, sed vt concordes sint qui diuina ministrare debent, & rectè sese omnia circa religionem habeant, prouidet, nihil non cultus diuini & veræ pietatis caussa faciens.*

LIBRI SEPTIMI.

I. CAPVT.

Quot sunt in vita fugienda, quot expetenda, & quis inter hæc ordo?

Tria in vita fugienda sunt, quorum gradus quidam est, & è malo in peius, è peiore in pessimum vitium homines paulatim prolabuntur: tria item expetenda, inter quæ ordo hic est, vt è bono in melius paulatim crebris honestis actionibus mutatio fiat, donec in eum virtutis gradum conscendamus, qui summus sit & omnium admirationem mereatur.

Quænam sunt illa fugienda, quæq; expetenda?

Fugienda sunt, Incontinentia, Malicia, & bestijs magis quàm homini conueniens furor & insania. Græcis hæc sunt, ἀκρασία, κακία, & θηριότης. Expetenda sunt, Continentia, Virtus, & Heroicus atq; diuinus impetus, nec nisi summo Dei in homines amore & beneuolentia, vt essent qui regerent genus humanum animi magnitudine, humanitate

nitate & sapientia ac integritate, pauciori-bus concessus.

Quid nomine continentiæ vulgo intelligimus?

De Malicia quæstionem instituí non est necesse, cum de Virtute actum fuerit, & contrariorum eadem sit doctrina: de insania bestiæ magis quàm homini conueniente, ad maliciæ excellentiam omni correctione maiorem respiciendo, vt de heroica Virtute ad Virtutis excellentiam animum & mentem referendo, facilè coniecturam capere possumus: Continentia & incontinentia qualia nam sint perpendendum est, cum & cognata hæc maximè sint Virtuti ac Vitio, & tamen ab his omnino differant. Vulgò autem nomine continentiæ intelligunt tale quid, quod circa Voluptates cum occupetur, laudandum sit, nomine incontinentiæ autem intelligunt contrarium, coniungentes continentiæ temperantiam, at incontinentiæ intemperantiam,

quinimo & perseuerantiam seu constantiam continentiæ, & incontinentiæ mollitiem iungentes.

II. CAPVT.

Potestne fieri, vt qui rem rectè intelligit, incontinens sit?

Fieri omnino potest, cum non rationis perfectæ sed magis appetitus sequatur ductum, melior tamen est is qui incontinenter agens, rem quoq; non intelligit nec satis perpendit, aut ab alio persuasus est.

III. CAPVT.

Quid differunt incontinens & intemperans?

Intemperans ex electione agit, incontinens verò non eligit, nec perpendit quid agat, cum vt sciat, tamen scientiam non sequatur & sciat quidem vniuersaliter tale quid quale acturus est, iustum & honestum non esse, tamen ad hanc ipsam suam actionem, illam noticiam non accommodet. Idem vero acidit

quod

quod in ebrio et dormiente quorũ ratio sopita iacet, at vbi euigilarint, aut crapulam edormierint, ad mentem redeunt, & quid egerint ebrij, sobrij perpendunt, nec quisquam est, qui si immodicè biberit, non tale quid dicat, faciatúe cuius non deinde quadam pœnitentia ducatur.

IIII. CAPVT.

Circa quas voluptates versatur incontinentia?

Voluptates aliæ necessariæ sunt, vt sine quibus vita sustentari non queat, quales sunt voluptates gustus et tactus seu Venereorum, ad alendum corpus & seruandum genus humanum: aliæ necessariæ quidem non sunt, verúm tales nihilominus existunt, vt easdem vehementer appetere homines soleant, quales sunt honorũ, diuitiarum, victoriæ cupiditates. Circa primum genus mediocritas quædam est & continentia & temperantia, at qui posteriores voluptates nimis appetunt, hos non dicimus simpliciter incontinentes, sed honorum incontinentes aut diuitiarum incontinentes,

Sunt'ne ergo simpliciter reprehendendi qui vel honorem vel victoriam nimis appetunt & incontinentes circa hæc existunt?

Non sunt simpliciter reprehendendi sed secundum quid, quemadmodum nec mali dicuntur simpliciter hi qui mali medici sunt aut mali poëtæ.

V. CAPVT.

Num verò circa quasúis naturales voluptates occupatur continentia & incontinentia?

Et earum voluptatum quæ necessariæ dicuntur differentia quædam est, cum non omnes æquè necessariæ dicantur & sint, verùm aliæ conditionem humanam superant, quas bestiales quis appellauerit, aliæ ex morbo, aliæ è consuetudine mala, velut animi quodam morbo, appetitiones oriuntur. Est verò continentia nequaquam circa naturales voluptates occupata, nec circa bestiales, nec circa eas quæ ex morbo aut furore oriuntur cupiditates, sed circa eas quæ à consuetudine qua-

quadam proueniunt, reliquæ verò incontinentiæ nomine per similitudinem appellantur, vt & iræ incontinentia.

VI. CAPVT.

Estne vituperanda magis iræ incontinentia, an verò incontinentia circa gustum & Venerea?

Si principium quis actionis spectet, minus vituperanda iræ incontinentia, si finem, minus vituperanda voluptatum incontinentia. Primùm enim videtur iratus audire quidem rationem, at non obœdire, aut non integrè audire & omnino id facere quod serui faciunt, qui vt effecta reddant dominorum negotia, nimis citò properant, anteq̃ mandata dominorum suorum rectè percipiant. Naturalis præterea magis est ad iram inclinatio & minus insidiosa, cum qui ad iram proni sunt, aperti & fideles esse soleant, qui voluptates sectantur, dolos nectant: & est causſa quæ ad iram commoueat non

omnino

omnino iniusta, cum ad libidines aut ebrietatem nemo ita adigatur causſa quapiam externa.

VII. CAPVT.

Quid differunt Perſeuerantia & continentia?

Perſeuerantia Græcis καρτερία reſiſtit appetitioni voluptatum, & hoc vnicè agit ne vincatur à voluptatibus, at continentia veluti vincit voluptatis appetitum, quod quò difficilius eſt, hoc pulcrius cenſeri debet. Sic incontinentia & mollities differunt, quod incontinentia velut impetus quidam eſt ad voluptates, tanto peior mollitie, quæ tantùm infirmitas quædam exiſtit, qua quis reſiſtere appetitui non poteſt.

Quò pertinet voluptas ex luſu ſeu alea & ſimilibus itemq; oblectatio ex narrationibus fabulofis?

Omnia hæc ad mollitiem referenda ſunt, cum velut recreationem quampiam curis aut labore defatigati inde percipiant, nimia

verò

verò vtraq; leues, mendaces & iniustos efficiant.

VIII. CAPVT.

Quid differunt Incontinens & Intemperans?

Incontinens facilè ad voluptates adigitur, quoq; magis sine omni deliberatione ad voluptates fertur, hoc facilius ad frugem redire potest, cum præsertim etiam pœnitentiâ ducatur, & non continuet vitium, sed subinde relabatur, at intemperans & deliberat quomodo voluptatem percipiat eã quam turpe est percipere, nec pœnitentia ducitur, nisi in extremum iam discrimen adductus, ideoq; non tam facilè ad virtutem reducitur. Incontinentes ergo iniusti non sunt, at iniusta faciunt, cum & velint & consultò agant iniusta intemperantes.

IX. CAPVT.

Annon vt temperantiæ, ita continentiæ duo vitia opponuntur?

Oppo-

Opponuntur quidem, sed vtrobiq; alterum quod est in defectu vitium, nomine ferè caret. Cum autem continentiæ opponatur, in excessu, incontinentia, quæ mollitiei vicina esse videtur, defectus vitium nomine caret, & ad ἀκρασίαν accedit ὁ ἰσχυρογνώμων seu ἰδιογνώμων pertinax in defendẽda sua sententia.

X. CAPVT.

Fieri'ne potest vt qui prudens est, idem sit incontinens?

Qui excellentissimis ingenijs prædíti sunt, incontinentes ferè existunt, quod melancholici cum sint, subitos habeant, ob coniunctam choleram, motus, at facilius hi ipsi emendari possunt, cum similes sint ciuitati habenti bonas leges, non autem vtenti. Prudens autem qui non modo scit quæ iusta sunt sed & agit, incontinens non est.

XI. CAPVT.

Quibus rationibus probatur voluptatem non esse bonum?

Quo-

Quoniam omnis voluptas generatio quædam & motus esse videtur, non autem finis, nec prudens vir vt dolorem mouentia fugiat voluptatem sectatur, sed pueri & animalia voluptatem sectantur. Quid quod morbos inducunt voluptates, & omnis ferè nocet empta dolore voluptas.

XII. CAPVT.

Quomodo bonum quodpiam voluptas videri potest?

Voluptates omnes aut coniunctum dolorem quempiam habent, quales ferè corporeæ sunt, & tales vir prudens non sectatur, sectantur autem pueri & bestiæ, aliæ vero animi sunt voluptates, quibus dolor coniunctus non est, nec dolor quispiam oppositus.

XIII. CAPVT.

Quibus rationibus probatur esse voluptatem bonum quid?

Primò quidem, quoniam contrarium illius, dolor, malum est, & vt quædam voluptates

malæ sint & turpes, tamen & voluptas est quæ optimo cuipiam coniungatur, & voluptatem felicitati coniungere solent. Est verò id etiã signum voluptatem quandam optimum quid esse, quod omnia animalia ad voluptatem feruntur, cum omnia aliquid diuini in se habeant.

XIIII. CAPVT.

Quid de corporeis voluptatibus censendum?

Et illarum nonnullæ sunt suo modo expetendæ. Modum verò in perfruendis voluptatibus corporis seruat vir prudẽs et temperãs, qui verò modum transgreditur, eo ipso quod modum excedit, non autem simpliciter, quia voluptates sectatur, malus est. Expetuntur autem rectè voluptates necessariæ, quæq; naturales & naturæ conuenientes sunt, vt naturæ defectum suppleant, quemadmodum illi, qui frigefactus est, ignis calor voluptati est, qui sitit is potu reficitur.

LIBRI

LIBRI OCTAVI.

I. CAPVT.

Cur in doctrina morali de amicitia agitur & quæ illius vis est atq; vtilitas?

Quia aut virtus est aut virtuti iuncta, & inter omnia maximè necessaria est in vita, amicitia, cum qui reliqua possident bona, amicis nihilominus indigeant, & qui reliquis bonis destituti in paupertatem aut calamitatem incidunt, solum arbitrentur refugium & spem esse in amicis. Iunioribus amici boni melius instituendæ vitæ autores sunt, senioribus amici inseruiunt, & infirmitati illorum consulunt, viris ad actiones honestas felicius & rectius obeundas vtiles sunt. Quid quod ciuitates continet & seruat amicitia, dissoluit discordia? Hinc etiam, si omnes amici essent, nihil iudicijs opus foret, videturq; iudex velut reconciliator hominum & amicitiæ studiosissimus esse defensor.

Eodem'ne modo de amicitia omnes opinãtur?

Minimè, sed alij quidem similitudinem quandam esse dicunt, cum simile simili sit amicum, alij verò in dissimilitudine amicitiam consistere aiunt. In natura verò dicunt amicitiam inter dissimilia deprehendi, cum terra quidem resiccata imbrem appetat, sol autem attrahere in summo æstu & siccitate aquam videatur, & inde dimittere vt in terram recidat.

II. CAPVT.

Quomodo optimè ad cognitionem & differentias amicitiæ percipiendas perueniemus?

Animaduersis differentijs illarum rerum quas amare solemus. Harum verò differentia triplex est, cum aut amemus honestum, aut vtile, aut iucundum. Ex his vtile non videtur amari vt finis, sed quod ad finem tendat ad honestatem aut iucunditatem, quæ duo velut fines amantur, cum quidem honestissima amicitia sit quæ honestum & virtutem

tem respicit, frequentissima quæ vtilitatem, quæ verò iucunditatem, non vnius generis esse conspiciatur.

III. CAPVT.

Quot sunt species amicitiæ & quomodo inter se differunt?

Tres, cum & tria sint quæ amare solent homines. Est ergo amicitia honesta ob virtutem, qualis inter viros esse solet, qui & conuictu gaudent nec modo huic modo illi iunguntur, sed constantior est eiusmodi amicitia, quò constantius est bonum virtus, quam vnus in altero amat & miratur. Amicitiæ altera species est amicitia illa quæ vtilitatem respicit, hacq; seniores duci videntur, ac ferè tales amici rarius coniunguntur, nisi vtilitas illos ad frequentiores conuersationes inuitet, & pertinet ad hanc amicitiam illa quæ hospitalitas dicta est. Tertia amicitiæ species ad iucunditatem omnia refert, quales ferè iuuenes, qui & mutuo conuer-

ſari cupiunt cum ijs qui iocos ſerere poſſunt, aut cum his qui formoſi ſunt, & in horam ydem mutantur & amicitiam abrumpunt. Eſt autem in honeſta amicitia ſumma familiaritatis iucunditas & vtilitas, qua amicus amici honeſta ſtudia ꝓmota cupit, ipſaq; hæc amicitia inter omnes ſpecies eſt rariſſima.

IIII. CAPVT.

Qualis eſt vnaquæq; ſpecies amicitiæ?

Amicitia omnis quæ facilè contrahitur, facilè diſſoluitur, at de virtute & animo alicuius pronunciare non potes niſi modium cum ipſo ſalis conſumpſeris, aut quod idem eſt, aliquandiu cum ipſo conuerſatus fueris, vt nec ita cito contrahatur & diuturnior ſit amicitia honeſta, cum nec iocis quælibet ætas apta ſit, & ætate forma pereat, diuitiarum autem maxima ſit mutatio. Quoniam verò ſublato eo, quod cauſſa eſt amicitiæ & veluti vinculum, ipſam amicitiam quoq; diſſolui manifeſtum eſt, hæ duæ ſpecies in quibus vel

vtilitas

vtilitas vel iucunditas conuersationis amicitiam conciliat, communi quidem loquentium vsu, amicitiæ vocabulo appellantur, cum re ipsa neutra illarum vera amicitia sit, sed tantùm per similitudinem.

V. CAPVT.

Estne amicitia inter absentes?

Si diuturna sit absentia, latere beneuolentiam necesse est, præsertim si nulla literarum commercia intercedant, cum aliâs eos qui bonarum rerum studijs dediti sunt, vel absentes amare soleamus, quæq; est ob iucunditatem amicitia, illa nec vlla sit inter hos qui locis disiuncti sunt, & illa quoq; eò maior est amicitia quæ vtilitatis caussa contracta est, quò commercia sæpius iunguntur.

Estne ad bruta amicitia?

Non est, cum nec ratio in his vlla sit, verùm chara nobis sunt et bruta et inanimata multa, seu ob vtilitatem præcipuam seu ob

iucunditatem. Sic etenim canis caudâ ab-blandiens, aut ridiculum ad modum quasdam operationes humanas imitatus, multis etiam paulò ineptioribus gratior est congerrone βωμολόχῳ quopiam, qui & ipse impudentia sua canem imitatus, insulsis & nonnunquam calumniosis dicteriis offam promereatur.

VI. CAPVT.

Quinam ad amicitiam colendam ineptiores sunt?

Qui seniores aut in dignitate aliqua summa positi sunt, cum & aliâs Non bene conueniãt, nec in vna sede morentur Maiestas et amor. Deinde verò etiam minus apti sunt ad colendam amicitiam illi qui natura aut consuetudine solitarij et morosi sunt. Est verò amicitia tanquam beneuolentia mutua non latens inter hos qui simul ad rempublicã operas suas & studia referunt, quales maximè sunt viri honesti, gaudentes societate & conuersatione cum alijs honestis viris.

Estne

Est'ne inter plures amicitia?

Vnus pluribus amicus esse non potest, vt optimus sit, non quia nolit, sed quia malicia hominum maxima est, & boni videri cum omnes velint, antequam rectè de animo alicuius & virtute pronunciare possis, longi tẽporis spacium requiratur. Est verò & amicitia & ipsa virtus per se tanquam excellentissimum bonum, rarissimum, quod nec inter multos consistere queat.

VII. CAPVT.

Sunt'ne & aliæ in amicitia differentiæ?

Sunt, ac prior quidem diuisio à fine seu bono ob quod amicitiam expetere solent, desumpta est: diuiditur autem amicitia etiam secundum mutuum vnius ad alium quod ad ipsa bona respectum excellentiæ & subiectionis, aut æqualitatis. Sunt enim amici aut dignitate æquales, inter quos non modò amicitia sed & summa familiaritas esse potest, aut dignitate inæquales, cuius amicitiæ &

ipsius diuersitas quædam conspicitur, eaq; exemplo ab œconomia sumpto nota esse potest. Nam cum vir ipse triplicem in re familiari & domo sua sustineat relationem, triplex eiusdem officium est, vnum quidem mariti, alterum patris, tertium domini. Mariti & vxoris, patris & filij, domini ac serui amicitia inæqualis est, adeò vt inter dominũ & seruum vix vlla sit, nisi, quod in seruis rarissimum est, fidem serui summam & diligentiam dominus perspiciat. Retinetur ergo amicitia etiam inter diuites & pauperes, (cum quidẽ inter ditissimos & pauperrimos amicitia non sit vlla) si quod habet quodq; potest et debet diues & in dignitate aliqua constitutus, pauperi, et quod habet pauper, diuiti exhibeat, pauperior ditiori, honorem, qui eminet illis bonis, quãtum ratio recta patitur, eorundem pauperiorem, participem faciat.

Num verò etiam maxima bona amico optanda sunt?

Hac

Hac quidem ratione, si maximis seu dignitatis seu diuitiarum & potentiæ bonis ornatus sit, amicus esse desinit, quod quidem amicus, qui verè amicus est, non expetet, & tamen siquidem amicus amico optima quæq; velle ac optare & precari debet, non poterit non maxima bona et virtutem illi maximam cupere, non tamen ita diuitias & opes, quæ maximæ si fuerint, turpitudini potius quàm honestati addictos aut saltem ambitiosos & contemptores aliorum efficiunt.

VIII. CAPVT.

Est'ne magis proprium amicitiæ amari an verò amare?

Magis proprium est amare, quod id in nostra potestate situm sit, alterum autem non ita in nostra sed in alterius potestate situm est, verùm vt id quoq; consequatur aliquis & vt ametur, amabilis sit, ac virtuti & veræ morum pulcritudini studeat.

IX. CA-

IX. CAPVT.

Quænam est & qualis amicitia ciuilis?

Et inter ciues amicitiam seruari reipublicæ interest, nec tyrannos quicquã de statu suo ita deiecit, nisi quod amicis bonis carerent, & initio dictũ est legislatoribus vnicè id curæ esse, vt inter ciues concordia seruetur, & amicitia. Nititur autem ciuilis amicitia vtilitate, & ipsum iustum à politicis definitur quod publicè vtile sit. Neq; verò sodalitia & conuentus ciuium atq; hilariores publicæ compotationes aliam ob causſam admissæ sunt, nisi vt amicitia eò solidior inter homines constaret, et multa ob quæ aliàs grauissimæ moueri contentiones possent adeoq; seditiones hac ipsa rara tamen ciuium inter sese familiaritate tollerentur & obliuioni traderentur.

X. CAPVT.

Quot sunt species politiarum & secundum has amicitiæ differentiæ?

Tres bonæ politiæ species sunt, & totidem

velut

velut excessus ac corruptiones, estq; in amicitia similis quædam diuersitas. Politiarum ergo differentiæ sunt: Prima, Regnum seu principatus seu Imperium, quocunq; nomine appelletur illa politia in qua vnus rerum summæ præest: Altera optimatum imperium, cum qui virtute eminent plures aliorum saluti et vtilitati publicæ prospicunt: Tertia est quæ à censu Græcis appellatur, quamq; solam ciuilem nominant politiam, in qua ditiores è populo imperant. Tres corruptiones sunt, omnes ab exactionibus paulatim initium sumentes. Est enim rex & princeps bonus, qui omnia sua consilia ad publicam dirigit vtilitatem, tyrannus verò qui, quæ publica sunt & quibus res suas subinde augere ciues possent, in suum vsum conuertit. Ex aristocratia in oligarchiam et quorumcunq; imperium degenerat politia, vbi qui rempublicam moderantur, sibi, non populo consulunt, & è timocratia in democratiam mutatio fit cum pau-

peres

peres indignatione & ira commoti, quod à ditioribus ob æs ferè in seruitutem rediguntur, vim his inferunt, & ita ferè pessimi quiq; imperium sibi asserunt. Omnis autem mutatio periculi plenissima, nec vlla tàm, quàm, cum recolligente se naturâ familiæ summorum principum aut regum eo modo quò aut Alcibiadis familia, aut eo modo quo familia Socratis degenerant: nec enim tyrannicida vnq; felix, nec qui ex obscuro genere ad imperia aspirârunt, faustos habuerunt successus, sed & ipsi prioribus peiores tyranni effecti sunt. Principi ergo subditi bonam mentem precentur, & ipse videat princeps, cogitetq; vel de infimi cuiusuis anima & salute reddendam esse æterno Principi rationem.

XI. CAPVT.

Quomodo conseruantur hæ species amicitiæ?

Si princeps studeat prodesse omnibus et nõ tam suarum voluptatum, vt Sardanapalus aut

aut vtilitatis priuatæ, vt Cræsus, rationem habeat, quàm honestatis & vtilitatis publicæ vt Cæsar Augustus. Hac etenim ratione fit vt non tantum nullum à quoq; subditorum principi periculum sit, sed et vt omnes illum incolumem velint, & ex animo precentur. Est autem hæc amicitia illi similis quæ inter parentes & liberos existit, & Homerus tùm patri, qui velit vt honestè sese aliquando alant liberi, tùm pastori cuius est tondere pecus non deglubere, imperatorem comparat. Aristocratica amicitia mariti est erga vxorem, è quibus virtute eminere debet (vir enim est) maritus, & non imperare seruiliter, imperare tamen, nec γυναικοκρατεῖσθαι, sed audire nonnunquam præsertim in subitis, vbi felicius est, consilium muliebre. Fratrum concordia quemadmodum rara est, si præsertim vnus præ altero ætate emineat aut dignitate, aut non sint vtroq; eodem parente nati: ita vix diuturna esse potest,

vbi

Vbi vni præ cæteris fauere parentes visi fuerint, aut hæreditatis parte alterũ alter fraudauerit, & eodem modo è Timocratia Democratia oritur. Domini in seruum imperium ferè tyrannicum est & amicitia perexigua, & timor seruo cum odio & priuata vtilitate pleruncq; coniunctus.

XII. CAPVT.

Accommoda vitia politiarum ad offensiones in amicitia?

Fratrum discordia similis est seditioni illi quæ vergit in Democratiam, vxoris & mariti discordia Oligarchiæ, vnde fit vt vxor mariti pecuniæ, nonnunquam honori et vitæ insidiari incipiat: officia autẽ mutua discordiam prohibent. Fratrum amicitia velut sodalitas quædam videtur vt & affinium concordia mutua & reliquæ in vita societates. Nulla autem magis naturalis est atq; vxoris & mariti amicitia.

XIII. CAPVT.

Quomodo dissoluitur amicitia vtilis?

Vtili-

Vtilitas omnis nisi honestate & iustitia nitatur, consistere nequit. Quare fit, vt & amicitia quam vtilitas conciliauit priuata tot modis dissoluatur, quot iuris differentiæ sunt. Est ergo aliud quidem scriptum ius, aliud non scriptum, ac contractus emptionis & venditionis & cæteri earum rerum quibus commercia ad vtilitatem inter homines fiunt, vel lege definuntur, vel humanitate et mutua beneuolentia illi ipsi qui contrahunt, ἀξίαν & valorem rei metiuntur, quorum vtrumcunq; violetur, vt si amicis maiore precio quàm exteris, si eodem precio viliora vendita sint, (quo quidem ingenio multos esse videmus) dissolui amicitiam necesse est.

XIIII. CAPVT.

Quomodo dissoluuntur amicitiæ inæquales?

Et diues ac virtute eminens & pauper & inferioris sortis quispiam habent quo amicitiam fouere queant, & quo sese tueantur

tur indigent. Nam honorem deferre eò maiorem superiori inferior potest, eoq; oblato gaudet, ac autoritatem velut priuato de se singulorum iudicio tuetur superior, qui idem inferiori opibus succurrere debet: Vtrunq; nisi fiat, amicitia dissoluitur, qualem inferior cum infirmior sit dissuere non disrumpere debet, nisi ex amico hostis haberi & quantùm à potentiori promoueri poterat, tantùm & quidem multò vehementius impediri velit.

LIBRI NONI

I. CAPVT.

Quænam sunt illa quæ amicitiam conseruant?

De æqualibus non tàm quæritur, quod æqualium firmissima amicitia esse videatur, quàm de inæqualibus in amicitia honesta itemq; illa quæ vtilitatis & commoditatis spe suscipitur. In amicitia verò cuius finis iucundi-

cunditas conuictus, siquidem inæquales fuerint amici, alter iucundum se exhibeat, alter liberalem, quorum si alterum non fiat, amicitia dissoluitur, Rectè enim accusauit cytharœdus eum cuius solius recreandi caussa diligentius cecinerat ad idipsum vocatus, quod pecuniam non daret, iniquâ verò excusatio alterius, quia voluptatem & ipse cytharœdus ex suauitate cantus percepisset, & collaudatus ab illo qui diligenter auscultarat, delectatus fuisset.

Quomodo inter docentes & discentes amicitia retinetur?

Pythagoras iudicio & arbitrio discipulorum permittebat, vt quantum putaret se vtilitatis consecutum, tantùm is aut illius loco seu parentes seu amici numerarent, at Sophistæ ipsi definiebant præmium idq; satis magnum artis suæ, quos & Isocrates imitatus est, cum viderent summam hominum

erga eos à quibus præstantissimum in vita donum, eruditionem consecuti essent, ingratitudinem. Socrates, Aristoteles & alij nec pecuniam ipsi poscebant, nec vt discipulus definiret ac constitueret petebant, sed grati illi qui ditissimi ex discipulis erant, abundè prospiciebant docentibus, tenuiores gratis instituebantur. Et certè si honestatis esset, qui maximè esse debebat inter homines respectus, hæc amicissima institutionis ratio diceretur.

II. CAPVT.

Quænam quibus amicis reddenda, vt recompensatio fiat?

Parentes filijs alimenta et honestam quantùm in ipsis est debent educationem. Parentibus alimenta debent filij & honorem, patri maiorem quàm matri. Deo debent omnes honorem, Magistratui honos debetur, & doctis ac fortibus viris debetur honos, at non idem qui parentibus, cum si eum quem Deo aut magistratui quis offert honorem, parenti defe-

deferat, iam non agnoscere parentem videatur: doctis ac fortibus viris honor debetur, in quo videndum, quis, cui, quomodo deferat. Fit enim vt & nimio honore offendatur is qui modestè de se iudicat, siquidem non honor est sed onus species læsura ferentes, quod & inuidiam ea res conciliare soleat his, quibus seu adulator seu imprudens quispiam honorem nimium detulit. Fratribus ac sodalibus familiaritas debetur conuictus. Vxor marito reuerentiam, maritus vxori amoris declarationem debet. Hæc si recompensatio mutua fiat, amicitia conseruatur.

III. CAPVT.

Quænam amicitiæ dissoluendæ?

Primùm quidem adulatorum, qui, cum morum & honestatis gratia amare videri velint, deprehenduntur pecuniæ & lucri caussa sese nobis coniunxisse. Deinde verò eorum, quorum videmus maliciam omni correctione maiorẽ esse, abrumpenda etiam est, priorum dissuenda amicitia. II. CA-

IIII. CAPVT.

Quomodo erga amicum se gerere oportet?

Eodem modo quo erga nosmetipsos, cum sit amicus qui eadem, quæ sibi ipsi, amico velit & cupiat. Omnes verò sibi benè cupiunt, qui virtuti studeant, cum mali nec alijs nec sibi ipsis amici sint, sed aut timiditate aut ob crudelitatẽ læsa conscientia, aut libidine aut auaritia adacti, violentas nonnunquam sibi manus inferant.

V. CAPVT.

Quid est beneuolentia?

Est amicitiæ initium & velut quiescens amicitia, quæ diuturnitate temporis & consuetudine confirmata, amicitia fiat, & accidit vt naturæ quopiam instinctu peculiariter vnus alteri bene velit, vnde postea amicitia nascatur.

Quomodo conciliatur beneuolentia?

Virtute et æquitate, quemadmodũ & cum duo concertant, omnes, illi, qui pulcrior aut melior videtur, victoriam tacitè precantur.

VI. CAPVT.

Quomodo concordia ab amicitia differt?

Et beneuolentia & concordia & beneficentia, quinimo & sui ipsius honestus amor, φιλικὰ sunt, & amicitiæ cognata. De beneuolentia dictum est, nunc de concordia, de reliquis deinceps agetur. Est ergo concordia inter hos qui de singularibus negocijs cum illorum sententia requiritur, consentiunt, nec aliàs in vita dissident, quamuis interim mutuis officijs, quod est plenæ & perfectæ amicitiæ, animos non declarent.

VII. CAPVT.

Quomodo ad amicitiã sese habet beneficentia?

Fit vt homines etiam malis benefaciant, quod amicus qui non nisi honestum amat, non fecerit. Amicitia ergo quid cui faciat considerat, nec nuda est beneficentia sed & ob honestatem beneuolentia & in honestis concordia.

VIII. CAPVT.

Est'ne aliqua ad seipsum amicitia?

Græci φιλαυτίαν dicunt, idq; apud ipsos non omnino honestum est vocabulum, cum tamen qui sibi amicus non est, is nec alijs amicus esse possit. Intelligitur autem φιλαυτία honestus sui ipsius amor, coniunctum habens modestum de virtute sua iudicium cum studio ornandi animam suam virtutibus præclarissimis. Ad hanc seu virtutem seu ipsum virtutis studium, quia amicis opus est, non parum ad amicitiã facere videtur promptius ac felicius contrahendam, honestus sui ipsius amor, quinimo ad amicitiam veram ac diuturnam hic aditus quidam est & præparatio.

IX. CAPVT.

Indiget'ne felix amicis?

Poëtæ negare videntur, qui ita pronunciarunt:

Ὅταν ὁ δαίμων δῷ τιν' ὄλβῳ, τί δεῖ φίλων;

Debet

Debet autem requirere amicos virtute & reliquis bonis ornatos, vt illis benefaciat, memor ideo sibi concessa hæc dona, vt alios re & consilio iuuet. Quid quod & amicis idem indiget, cum solitaria vita humana non sit, sed aut diuina ac homine maior aut bestialis, & ipsarum beluarum nulla tàm sit fera & immanis, quæ non aliquam societatem & familiaritatem colat?

X. CAPVT.

Quot nobis amicos conciliabimus?

Nec plurimi in amicitiam admittendi sunt nec omnes excludendi, sed quemadmodum de hospitalitate dicitur, non oportet erga plurimos esse hospitalem, nec multos admittere conuiuas. Firmissima amicitia inter duos consistit, & quod rara sint constantissimorum per omnia amicorum exempla, quinq; tantū memorantur amicorum paria, quorum Damocles & Pythias si tyrannum in amicitiam se recepturos dicerent, non tamen satis

fido illo amico vterentur, nec quia malus est, tyrannus, hos diuturnos amicos habere posset. Tot autem ad summum in amicitiam recipiendi, quod conuictui sufficiant, siue tres, siue nouem, siue duodecim, qui summus est & maximus conuiuarum numerus, Gratijs cum Musis velut vna mensa considentibus.

XI. CAPVT.

Num prospera fortuna vtentibus an verò aduersa amici magis requirendi?

Necessarij sunt amici necessitate prementè, magis necessarij quò maius infortunium fuerit. Quemadmodum verò dum fortuna bona vtitur, vir prudens amicos sibi conciliat, ita indignum videtur viro magnanimo amicorum opem requirere, indignius verò & turpius est amico sponte sua omnem operam, & opem non suggerere, turpissimum petenti id denegare, quod vel externo præstari soleat auxilium.

XII. CA-

XII. CAPVT.

Quæ'nam ſunt veri amici officia?

Cauſſam præbere vt coaleſcat & firmior fiat amicitia, errata amici noſſe, non odiſſe amicum, ſi opus ſit monere & moneri, cum gaudente gaudere, ſi triſtis ſit amicus, illius dolore affici, ſæpe etiam non vocatum accedere, & amicum obſeruatis circumſtantijs vocare, cum in conuictu amicitia conſiſtat, ſilentium autem & abſentia amicitiam diſſoluat.

LIBRI DECIMI

I. CAPVT.

Cur de voluptate toties in Ethicis agitur?

Quia ad vitam hominis & ad felicitatem humanam plurimum prodeſt ab ineunte ætate, gaudere quibus gaudendum eſt, et dolere quibus dolendum, ac de voluptate quæſtionem mouerunt, num expetenda illa, & bona eſſet, an verò mala & fugienda.

II CA-

II. CAPVT.

Quínam bonam dixerunt, qui malam?

Eudoxus philosophus non bonam modo voluptatem, sed & summum bonum in ea situm esse dixit, quòd oppositum illi, dolor, malum esset. Huic Plato sese opposuit, quia bonum non esset nisi coniunctam haberet prudentiam, & magis & quia minus reciperet.

III. CAPVT.

Estne vera solutio Platonis?

Non omnino sed & inter voluptates distinguendum est, cum aliæ turpes sint aliæ honestæ, aliæ quæ dolorem oppositum non habeant, quales sunt perfectissimæ & maximè eligendæ voluptates, præsertim ex contemplatione.

IIII. CAPVT.

Quid est voluptas?

Ad definitionem voluptatis concludendam argumentis vtitur ab ijs quæ de voluptate dicuntur. Sunt autem illa: Primum: Voluptas

luptas motus non est, at non sine motu, nec in tempore sed simul & semel percipitur. Alterum: operationem sequitur voluptas sensus aut intellectus, siquidem vt voluptas percipiatur requiritur cognitio perceptionis, cognitio verò omnis vel per sensum vel per intellectum. Tertium: Et animi & corporis voluptas in homine, quandiu in hoc corpore animus est, finita est, & multis modis tædiū accidit, corpori quidem, ratione sui & obiecti delectantis, animo verò quia corporis ministerio vtitur. Quartum: Voluptatem & delectationem omnes vt perfectionem appetunt. Quintum: Vniuscuiusq; propria est voluptas, sensus & intellectus, ac voluptates sensus vincuntur à voluptatibus intellectus puritate. Est ergo voluptas perfectio ad operationem sensus vel intellectus consequens.

V. CAPVT.

Quomodo distinguuntur voluptates?

Manifestiores sunt nobis voluptates corporis,

poris, & communes illæ ferè existunt cum reliquis animalibus, at intellectus voluptates propriæ hominis sunt & diuturniores honestioresq́, quamuis non omnes æquè his afficiantur vt corporeis voluptatibus, quàm voluptates corporis.

VI. CAPVT.

In qua re consistit felicitas?

Non in diuitijs aut potentia, seu bonis his, è quorum perceptione voluptas sensus oritur, sed in bonis animi felicitas vera sita est.

VII. CAPVT.

Num actionis præstantior an contemplationis felicitas?

Argumenta quæ ad hanc quæstionem plurima diuersissimaq́, protulit Aristoteles, omnia eò pertinent, quòd quia præstantissimum in nobis sit mens, & virtutes autem nec in Deo nec in animo à corpore separato esse

esse queant, sed corporis instrumenta requirant, in hac vita practicam felicitatem vtiliorem esse, naturâ verò suâ præstantiorem theoreticam.

VIII. CAPVT.

Quo signo probat felicitatem contemplantem supremam esse, & non excludi tamen alteram felicitatem?

A conditione Dei quem nemo nisi poëticis nugis dixerit contrahere matrimonia, edere, bibere, circa qualia versatur temperantia: & reliqua verò etiam, quæ sunt cæterarum virtutum, si qui Deum agere dicat, summæ pleniſsimum esset hoc absurditatis.

IX. CAPVT.

Quis verò huius doctrinæ finis?

Non contemplatio nuda sed actio, cum ad vitam dirigatur humanã, non quæ contemplatione sed actione honesta et ad vtilitatem publi-

publicam directa contemplatione seruatur. Dirigitur autem ad politicam facultatem, & vt quamplurimis prodesse quis possit, tùm corporis bona tùm externa fortunæ quoq; ornamenta necessaria sunt. Quoniam verò non is verus homo est quem videmus, sed quod immortale solum tenemus nulli sensui obuium, mens humana diuinæ originis, verus homo existit, & omnes huius vitæ actiones ad solam nominis diuini gloriam referendæ sunt & ab illo solo bonitatis fonte orandū vt τοῖς ἐκτὸς μεταίως κεχωρηκόσι καὶ σὺν τὸ σῶμα ἔχουσι. *si illi ita videatur, nobisq; vtile sit, hîc de Deo piè & non sine timore cogitemus, illic remotâ nebulâ non posteriora Dei, sed summa cum voluptate, eaq; nunq; cessatura, de facie ad faciem summum illud, vnicum primum ac vltimum bonum contemplemur.*

FINIS.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA

Biblioteka Uniwersytecka Starodruki Toruń

Ob.6.II.3412